

S.P. 11554 y
118916
Set. 19169

NOVÍSIMA COLECCION
DE PIEZAS ESCOGIDAS DE LOS
CLASICOS LATINOS,

PARA USO DE LOS JÓVENES

QUE SE DEDICAN AL ESTUDIO DEL LATIN,

ORDENADAS Y COMENTADAS POR

D. SATURNINO FERNANDEZ,

Catedrático de dicha asignatura en el Instituto de San Isidro
de Madrid,

y

D. Saturnino Fernandez y Velasco,

Doctor en Filosofía y Letras,
y Catedrático supernumerario, por oposicion,
de dicha facultad, seccion de Lenguas,
en la Universidad de Sevilla.

TOMO I.

MADRID:

Imprenta de EL CONSULTOR á cargo de Enrique de la Riva,
calle del Barquillo, núm. 15.

1869

7126

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
CHICAGO, ILL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
CHICAGO, ILL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
CHICAGO, ILL.

1911

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
CHICAGO, ILL.

1911

31-2.

647-4208

1126

NOVÍSIMA COLECCION

DE PIEZAS ESCOGIDAS

DE LOS CLASICOS LATINOS.

NOVISIMA COLECCION

DE PRUEBAS ESCOGIDAS

DE LOS CLASICOS LATINOS

11554
11896
11847

NOVÍSIMA COLECCION
DE PIEZAS ESCOGIDAS DE LOS
CLASICOS LATINOS,

PARA USO DE LOS JÓVENES
QUE SE DEDICAN AL ESTUDIO DEL LATIN,
ORDENADAS Y COMENTADAS POR

D. SATURNINO FERNANDEZ,

Catedrático de dicha asignatura en el Instituto de San Isidro
de Madrid,

D. Saturnino Fernandez y Velasco,

Doctor en Filosofía y Letras, y Catedrático supernumerario,
por oposicion, de dicha facultad, seccion de Lenguas,
en la Universidad de Sevilla,

Comprende las que deben traducirse en el curso
de Sintaxis.

LIBRO II DEL TOMO I.

MADRID.
IMPRENTA DE ENRIQUE DE LA RIVA,
BARQUILLO, NUM. 13.

—
1869.

NOVISIMA COLECCION
DE PIEZAS ESCOGIDAS DE LOS
CLASICOS LATINOS

PARA USO DE LOS JOVENES
QUE SE DEDICAN AL ESTUDIO DEL LATIN
ORDENADAS Y COMENTADAS POR
D. SATURNINO FERNANDEZ

Es propiedad de los autores, quienes perseguirán ante la ley
al que la reimprima sin su consentimiento.

Saturnino Fernandez

Saturnino Fernandez

MADRID
IMPRIMERIA DE LA RIVA

BIOGRAFIAS

DE LOS MAS ESCLARECIDOS GENERALES DE LA GRECIA SEGUN CORNELIO NEPOTE.

MILCIADES.

THEMA I.

1. Queriendo los Atenienses enviar una colonia al Quersoneso, hicieron á Milciades general.

Miltiades, Atheniensis quum, et antiquitate géneris, et gloriâ majorum et suâ modestiâ, unus omnium maximè floreret; eâque esset ætate, ut non jam solum de eo benè sperare, sed étiam confidere cives possent sui, talem futurum, qualem cògnitum judicarunt: accidit, ut Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere. Cujus géneris quum magnus nùmerus esset, et multi ejus demigrationis péterent societatem: ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui consúlerent Apólinem, *quò potissimum duce uterentur*. Namque tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His consuléntibus nominatim Pythia præcepit, *ut Miltiadem sibi Imperatorem simerent. Id si fecissent, incepta próspera futura.*

2. Sale Milciades con una escuadra y llega al Quersoneso.

Hoc oráculi responso Miltiades cum delecta manu classe Chersonesum profectus, quum accessisset Lemnum, et incolas ejus insulæ sub potestatem redigere vellet Atheniënsium, *idque ut Lëmnii sua sponte facerent*, postulasset, illi irridentes responderunt. *Tum id se facturos, cum ille domo návibus proficiscens, vento aquilone venisset Lemnum.* Hic enim ventus à septentrionibus oriens, adversum tenet Athenis proficiscéntibus. Miltiades morandi tempus non habens, cursum direxit quò tendebat, pervenitque Chersonesum.

THEMA II.

1. Derrota Milciades á los Tracios, coloca sus tropas en el campo, y las enriquece con sus escursiones.

Ibi brevi tēpore barbarorum cópiis disjectis, tota regione, quam petierat, potitus, loca castellis idónea communivit: multitudinem, quam secum dúxerat, in agris collocavit, crebrisque excursiónibus locupletavit. Neque minùs in ea re prudéntià, quàm felicitate, adjunctus est. Nam quum virtute militum devicisset hóstium exércitus, summa æquitate res constituit, atque ipse ibidem manere decrevit: erat enim inter eos dignitáte régia, quamvis carebat nómine. Neque id magis impérió, quàm justitià, consecutus. Neque eò seciùs Atheniënsibus, à quibus erat profectus, officia præstabat. Quibus rebus fiebat, ut non minùs eorum voluntate

perpetuò imperium obtineret, qui miserant, quàm illorum, cum quibus erat profectus.

2. Arregla Milciades los asuntos del Quersoneso, y se apodera de Lemnos con otras islas.

Chersonesò tali modo constitutà, Lemnum revértitur, *et ex pacto póstulat, ut sibi urbem tradant. Illi enim dixerant, quum vento bórea domò profectus eò pervenisset, sese dedituros: se autem domum Chersonesi habere.* Cares, qui tum Lemnum incolebant, etsi præter opinionem res ceciderat, tamen non dictò, sed secundà fortunà adversariorum capti, resistere ausi non sunt, atque ex insula demigrarunt. Pari felicitate cæteras insulas, quæ Cyclades nominantur, sub Atheniensium redegit potestatem.

THEMA III.

1. Dario, rey de Persia, declara guerra á los Escitas, levanta un puente en el Danuvio, y confia á Milciades su custodia.

Eisdem tempóribus Persarum rex Darius, ex Asia in Europam exército trajecto, Scythis bellum inferre decrevit. Pontem fecit in Istro flumine, quà copias traduceret. Ejus pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit principes, quos secum ex Iónia et Æólide duxerat. Quibus singulis ipsarum urbium perpétua dederat impéria. *Sic enim putavit, facillimè se Græcá linguá loquentes, qui Asiam incolerent, sub sua retenturum potestate, si amicis suis oppida tuenda tradidisset: quibus, se oppresso, nulla spes salutis relin-*

acieque decernerent. Unus Miltiades máximè nitebatur, ut primo quoque tẽmpore castra fierent. Id si factum esset, et civibus ñnimum accesorum, quum viderent de eorum virtute non desperari et hostes eãdem re fore tardiores, si animadvertèrent, aude-ri adversus se tam exiguis cõpiis dimicare.

THEMA V.

1. Los Atenienses, con el auxilio de los de Platea, y entusiasmados por su caudillo Milciades, sacan las tropas, y las colocan en lugar ventajoso.

Hoc in tẽmpore nulla civitas Atheniẽsibus auxilio fuit præter Plataeẽsium. Ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt: quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est, ut plus, quàm collegæ, Miltiades valuerit. Ejus enim auctoritate impulsì Athenienses, cõpias ex urbe eduxerunt, locòque idóneo castra fecerunt. Deinde pósterò die sub montis radicibus, ácie è regione instructa, nova arte, vi summa prælium commiserunt. Namque árbores multis locis erant raræ, hoc corsilio, *ut et mõtium tegerentur altitudine, et árborum tractu equitatus hõstium impediretur, ne multitudine clauderentur.*

2. Batalla famosa de Maraton. Derrota de los Persas: fuga vergonzosa.

Datis, etsi non locum æquum videbat suis, tamen fretus número copiarum suarum, confligere cupiebat: eòque magis, quòd, *priùsquàm Lacedæmónii subsi-*

dio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in áciem péditum centum, équitum decem millia produxit, præliumque commisit. In quo tantò plus virtute valuerunt Athenienses, ut decémplicem númerum hóstium profligarent: adeóque perterruerunt, ut Persæ non castra, sed naves péterent. Qua pugnâ nihil adhuc est nobilius. Nulla enim umquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

THEMA VI.

4. Premio dado á Milciades por esta victoria. Estatuas que levanta el pueblo.

Cujus victoriæ non alienum videtur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere. Quo facilius intéllegi possit, eámdem ómnium civitatum esse naturam. Ut enim pópuli nostri honores quondam fuerunt rari et ténues, ob eamque causam gloriosi; nunc autem effusi, atque obsoleti: sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Namque huic Miltiadi, qui Athenas, totamque Græciam liberarat, talis honos tributus est in pórticu, quæ *Pæcile* vocatur, quum pugna depingeretur Marathónia; ut in decem prætorum número prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites, præliumque committeret. Idem ille pópulus, posteaquam majus imperium est nactus, et largitione magistratuum corruptus est, trecentas státuas Demétrio Phaléreο decrevit.

2. Nombrado almirante de una escuadra, reduce algunas islas, y toma otras por la fuerza; pero un accidente imprevisto le obliga á levantar el sito de Paros.

3. Post hoc prælium classem septuaginta návium Athe-

nienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quæ bárbaros adjúverant, bello persequeretur. Quo imperio plerasque ad officium redire coëgit, nonnullas vi expugnavit. Ex his Parum insulam ópibus elatam, quum oratione reconciliare non posset; cópias è návibus eduxit, urbem opéribus clausit, omnique commeatu privavit: deinde vineis ac testudinibus constitutis, propius muros accessit. Quum jam in eo esset, ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, néscio quo casu nocturno témpore incensus est: cujus flamma ut ab oppidanis et oppugnatóribus est visa, utrisque venit in opinionem, signum à classiáriis régiis datum. Quo factum est, ut et Párii à deditiole deterrerentur, et Miltiades timens, ne classis régia adventaret, incensis opéribus quæ statúerat, eum tótidem návibus atque erat profectus, Athenas magna cum offensione civium suorum rediret.

THEMA VII.

1. Es acusado de traidor Milciades estando enfermo. Vista su causa, y absuelto de la pena capital, fué puesto en una cárcel, y murió en ella.

Accusatus ergo *proditionis*, quòd, quum *Parum expugnare posset*, à rege *corruptus infectis rebus à pugna discessisset*. Eo témpore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido accéperat. Itaque quóniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater ejus Tiságoras. Causà cógnitá, *cápitis absolutus*, pe-

crimīa mulctatus est; eaque lis quinquaginta talentis aestimata est, quantus in classem sumptus factus erat. Hanc pecuniam quòd sòlvere in præséntia non póterat, in vincula pública conjectus est, ibique diem óbiit supremum.

2. Causa verdadera de la acusacion de Milciades, quien, á pesar de sus prendas, autoridad y gloria militar, fué castigado siendo inocente.

Hic etsi crimine Pário est accusatus, tamen ália fuit causa damnationis. Nam Athénienses, propter Pisistrati tyránnidem, quæ paucis annis ante fúerat, ómnium suorum civium poténtiam extimescebant. Miltiades multum impériis magistratibusque versatus, non videbatur posse esse privatus, præsertim quum consuetúdine ad imperii cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonesi omnes illos, quos habitarat, annos perpétuam obtinúerat dominationem, *Tyrannusque* fúerat appellatus, sed justus. Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinúerat. Omnes autem et habéntur et dicuntur Tyranni, qui potestate sunt perpétuá in ea civitate, quæ libertate usa est. Sed in Miltiade erat cú summa humanitas, tùm mira cómitas, ut nemo tam húmilis esset, cui non ad eum áditus pateret, magna auctoritas apud omnes civitates, nóbile nomen, laus rei militaris máxima. Hæc pópulus respiciens, *máluit eum innóxiū plecti, quàm se divitiū esse in timore.*

CIMON.

THEMA VIII.

1. Trabajos que padeció Cimon en la juventud. Elpinice le saca de la prision casando con el rico Calias.

Cimon, Miltiádis filius, Atheniensis, duro ádmódum initio usus est adolescéntiæ. Nam, quum pater ejus litem æstimatam pópulo sólvare non potuisset, ob eamque causam in vinctulis públicis decessisset, Cimon eâdem custodiâ tenebatur, neque légibus Atheniénsibus emitti póterat, nisi pecúniâ, quâ pater multatus esset, solvisset. Habebat autem in matrimónio sororem germanam suam, nómine Elpinicen, non magis amore, quàm pátrio more ductus: nam Atheniénsibus licet eodem patre natas uxores dúcere. Hujus conjúgii cúpidus Cállias quidam, non tam generosus, quàm pecuniosus, qui magnas pecunias ex metallis fécerat, egit cum Cimone; ut eam sibi uxorem daret: id si impetrasset, se pro illo pecúniâ soluturum. Is quum talem conditionem aspernaretur, Elpinice *negavit se passuram Miltiádis progeniem in vinctulis públicis interire, quóniamque prohibere posset; se Cállie nupturam, si ea, quæ polliceretur, præstitisset.*

2. Cimon, puesto en libertad, llegó á ser gran capitan: consiguió victorias de los enemigos, y llevó riquezas á su ciudad.

Tali modo custodiâ liberatus Cimon celériter ad

principatum pervenit. Habebat enim satis eloquentiæ, summam liberalitatem, magnam prudentiam, cum juris civilis, tum rei militaris, quod cum patre à puero in exercitu fuerat versatus. Itaque hic et populum urbanum in sua tenuit potestate; et apud exercitum plurimum valuit auctoritate. Primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit: oppidum Amphipolim constituit, eoque decem millia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum apud Mycalen Cypriorum et Phœnicum ducentarum navium classem devictam cepit, eodemque die pari fortuna in terra usus est. Namque hostium navibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, barbarorum uno concursu maximam vim prostravit. Quâ victoriâ, magnâ prædâ potitus, quum domum reverteretur, quod jam nonnullæ insulæ propter acerbitem imperii defecerant, benè animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coëgit. Scyrum, quam eo tempore Dólopes incolebant, quod contumacius se gesserat, vacuefecit, sessores veteres urbe insulæque ejecit, agros civibus divisit. Thásios opulentiâ fretos suo adventu fregit. His ex manubiis Athenarum arx, quâ ad meridiem vergit, est ornata.

THEMA IX.

1. Envidia de los Atenienses: destierro de Cimon: vuelta á su patria. Puesto al frente de una escuadra, murió de enfermedad en la conquista de Chipre.

Quibus rebus quum unus in civitate máximè floret, incidit in eandem invidiam, quam pater suus ce-

terique Atheniënsium principes. Nam testarum suffragiis, quòd illi *ostracismum* vocant, decem annorum exilio multatus est. Cujus facti celèrius Athenienses, quàm ipsum, pœnituit. Nam, quum ille forti ánimo invidiæ ingratorum civium cessisset, bellumque Lacedæmonii Atheniënsibus indixissent, confestim notæ ejus virtutis desidèrium consecutum est. Itaque post annum quintum, quàm expulsus erat, in pátriam revocatus est. Ille, quòd hospitio Lacedæmoniorum utebatur, sátiùs existimans, eos, et cives suos inter se una voluntate consentire, quàm armis contendere, Lacedæmonem suâ sponte est profectus, pacemque inter duas potentíssimas civitates conciliavit. Post neque ita multò Cyprum cum ducéntis návibus imperator missus, quum ejus majorem partem insulæ devicisset, in morbum implicitus, in óppido Cítio est mortuus.

2. Los Atenienses le echaron menos en paz y en guerra, y sintieron su muerte.

Hunc Athenienses non solùm in bello, sed in pace, diu desideraverunt. Fuit enim tantà liberalitate, quum complúribus locis prædia, hortosque haberet, ut nunquam in eis custodem imposúerit fructus servandi grátiâ, ne quis impediretur, quò minùs ejus rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Semper eum pedíssequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Sæpè, quum aliquem offensum fortunâ videret minùs benè vestitum, suum amiculum dedit. Quotídie sic cœna ei coquebatur, ut, quos invocatos

vidisset in foro, omnes devocaret, quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides ejus, nulli ópera, nulli res familiaris defuit: multos locupletavit: complures páuperes mórtuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu éxtulit. Sic se gerendo, mínimè est mirandum, si et vita ejus fuit segura, et mors acerba.

TEMÍSTOCLES.

THEMA X.

1. Temístocles, desheredado por su padre por su mala conducta, se corrigió de manera, que pronto llegó á ser famoso.

Themístocles, Néocli Filius, Atheniensis. Hujus vitia ineuntis adolescentiæ magnis sunt emendata virtutibus: ádeo ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater ejus Néocles generosus fuit. Is uxorem Halicarnásiam civem duxit, ex qua natus est Themístocles. Qui quum mínus esset probatus paréntibus quòd et libérius vivebat, et rem familiarem negligebat, à patre exheredatus est. Quæ contumélia non fregit eum, sed erexit. Nam quum judicasset, sine summa indústria non posse eam extinguí, totum se dédidit reipúblicæ, diligéntius amicis, famæque sérvians. Multum in judiciis privatis versabatur, sæpè in concionem pópuli prodibat, nulla res major sine eo gerebatur, celeriterque, quæ opus erant, reperiebat. Neque mínus in rebus gerendis promptus, quàm excogitandis, erat: quòd et *de instántibus* (ut

ait Thucydides) *verissimè judicabat, et de futuris callidissimè conjiciebat*. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur.

2. Elegido pretor por el pueblo, mandó construir una esquadra: hizo aguerridos á los Atenienses, y los enriqueció.

Primus autem gradus fuit capessendæ reipublicæ bello Corcyraeo: ad quod gerendum prætor à pópulo factus, non solùm præsenti bello, sed étiam réliquo tempore, ferociorem réddidit civitatem. Nam quum pecunia pública, quæ ex metallis redibat, largitione magistrátuum quotannis interiret, ille persuasit pópulo, ut eà pecunià, classis centum návium ædificaretur. Qua celériter effecta, primùm Corcyraeos fregit, deinde maritimos prædones consecutando, mare tutum réddidit. In quo cùm divitiis ornávit, tùm étiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses. Id quantæ saluti fúerit universæ Græciæ, bello cógnitum est Pérsico. Nam quum Xerxes et mari et terrà bellum universæ inferret Europæ, cum tantis eam cópiis invasit, quantas neque ántea, neque póstea hábuit quisquam. Hujus enim classis mille et ducentarum návium longarum fuit, quam duo millia onerariarum sequebantur: terrestres autem exércitus septingentorum millium péditum, équitum quadringentorum millium fuerunt.

THEMA XI.

1. Temístocles interpreta el oráculo de Apolo, y persuade á los Atenienses á que abandonen la ciudad, y se embarquen.

Cujus de adventu quum fama in Græciam esset per-

lata, et máximè Athenienses peti dicerentur propter pugnam Marathóniam; miserunt Delphos consultum, *quidnam fácerent de rebus suis*. Deliberántibus Pythia respondit, *ut mænibus ligneis se munirent*. Id responsum quo valeret, quum intelligeret nemo, Themístocles persuasit, *consilium esse Apóllinis, ut in naves se suaque conferrent; eum enim à Deo significari murum ligneum*. Tali consilio probato, addunt ad superiores tótidem naves triremes: suaque ómnia quæ moveri póterant, partim Salaminem, partim Træzenem asportant; arcem sacerdotibus paucisque majoribus natu, ac sacra procuranda tradunt: reliquum óppidum relinquunt.

2. Marcha Leonidas con tropa escogida para detener por tierra los enemigos. Resultado de esta expedicion. Batalla naval de Temístocles.

Hujus consilium plerisque civitatibus displicebat, *et in terra dimicari* magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonida Lacedæmoniorum Rege, qui Thermópilas occuparent, longiùsque bárbaros prógredi non paterentur. Hi vim hóstium non sustinuerunt, eoque loco omnes interierunt. At classis communis Græciæ trecentarum návium, in qua ducentæ erant Atheniènsium, primùm apud Arthemísium inter Eubœam continentemque terram cum classiáriis regis conflixit. Angústias enim Themístocles quærebat, ne multitúdine circumiretur. Hic etsi pari prælio discésserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere: quòd erat periculum, ne, si pars, návium adversariorum Eubœam superasset, ancípiti premerentur periculo. Quo factum

est, ut ab Arthemisio discéderent, et ex adversum Athenas apud Salamina classem suam constitúerent.

THEMA XII.

4. Xerxes se apodera de las Termópilas y de Atenas ; pero luego es vencido en batalla naval por la astucia de Temistocles.

At Xerxes Thermópilis expugnatis, prótinus accessit Astu, idque nullis defendéntibus, interfectis sacerdotibus, quos in arce invénérat, incendio delevit. Cujus famà pertérriti classiárii quum manere non audent, et plúrimi hortarentur, *ut domos suas discéderent, mœnibusque se defénderent*; Themistocles unus réstitit, *et univérsos esse pares* ajebat, *dispersos testabatur perituros*; idque Eurybíadi Regi Lacedæmoniorum, qui tum summæ impérii præerat, fore affirmabat. Quem quum minùs, quàm vellet, moveret, noctu de servis suis, quem hábuit fidelissimum, ad Regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis: *adversários ejus in fuga esse: qui si discessissent, majore cum labore, et longinquiore témpore bellum confecturum, quum singulos consecrari cogeretur. Quos si statim aggredérètur, brevi univérsos oppressurum*. Hoc eò valebat, ut ingrátis ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita, bárbarus nihil doli subesse credens, postridie alieníssimo sibi loco, contrà opportunissimo hóstibus, ádeo angusto mari conflixit, ut ejus multitudo návium explicari non potúerit. Victus ergo est magis consilio Themistoelis, quàm armis Græciæ.

2. Engaña Temístocles al enemigo: este se retira dejando en paz á la Grecia, y con gloria.

Hic etsi malè rem gèsserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut étiam cum his opprimere posset hostes. Interim ab eodem gradu depulsus est. Nam Themístocles verens, ne bellare perseveraret, certiorum eum fecit, *id agi ut pons, quem ille in Helle-sponto fécerat, dissolveretur, ac réditu in Asiam excluderetur*. Idque ei persuasit. Itaque quà sex mēsis iter fécerat, eàdem minùs diebus triginta in Asiam reversus est; *seque à Themístocle non superatum, sed conservatum* judicavit. Sic unius viri prudētià Græcia liberata est, Europæque succúbuit Asia. Hæc àltera victória, quæ cum Marathónio possit comparari trophæo. Nam parí modo apud Salamina parvo número nāvium máxima post hóminum memóriam classis est devicta.

THEMA XIII.

1. Grandeza de alma de Temístocles. Obras que levantan los Atenienses por su consejó.

Magnus hoc bello Themístocles fuit, nec minor in pace. Quum enim Phaléreο portu neque magno, neque bono Athenienses uterentur, hujus consilio triplex Piræei portus constitutus est: isque mœnibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret. Idemque muros Atheniēsiū restituit præcipuo periculo suo. Namque Lacedæmónii causam idoneam naeti propter barbarorum excursiones, quà ne-

garent oportere extra Peloponesum ullam urbem haberi, ne essent loca munita, quæ hostes possiderent, Athenienses ædificantes prohibere sunt conati. Hoc longè alio spectabat, atque videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathonia et Salaminia, tantam glóriam apud omnes gentes erant consecuti, ut intelligerent Lacedæmonii, de principatu sibi cum his certamen fore. Quare eos quàm infirmissimos esse volebant.

2. Los Lacedemonios pretenden inútilmente impedir estas obras con pretexto del bien general.

Postquam autem audierunt muros instrui, legatos Athénas miserunt, qui *id fieri vetarent*. His præsentibus desierunt, *ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt*. Hanc legationem suscepit Themístocles, et solus primò profectus est. *Reliqui legati, ut tùm exirent, cùm satis altitudo muri exstructa videretur, præcepit. Interim omnes servi, atque liberi opus facerent, neque ulli loco párcerent, sive sacer esset, sive profanus, sive privatus, sive publicus: et undique quod idóneum ad muniendum putarent, congérerent*. Quo factum est, ut Atheniènsium muri ex sacellis, sepulcrisque constarent.

THEMA XIV.

4. Medios de que se vale Themístocles para desvanecer las quejas.

Themístocles autem, ut Lacedæmonem venit, adire ad Magistratus nóluit, et dedit óperam, ut quàm lon-

gissimè tempus duceret: causam interponens, *se collegas expectare*. Quum Lacedæmonii quererentur, *opus nihilominus fieri, eumque ea re conari fallere*, interim reliqui legati sunt consecuti: à quibus quum audisset, non multum superesse munitionis, ad Ephoros Lacedæmoniorum accessit; penes quos summum impérium erat: atque apud eos contendit, *falsa his esse delata: quare æquum esse, illos, viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent: intérea se obsidem retinerent*. Gestus est ei mos, tresque legati, functi summis honoribus, Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles iussit proficisci: eisque prædixit, *ut ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quàm ipse esset remissus*.

2. Estando casi concluidas las fortificaciones, descubre su plan á los Lacedemonios, y los reprende por su desconfianza.

Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad Magistratum, Senatumque Lacedæmoniorum ádiit, et apud eos liberrimè professus est; *Athenienses suo consilio, quod communi jure gentium facere possent, Deos públicos, suosque patrios ac penates, quò facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse: neque eo, quod inutile esset Græciæ, fecisse*. Nam illorum urbem, ut propugnaculum, oppositam esse bárbaris, apud quam jam bis classis régian fecisset naufragium. Lacedæmonios autem malè et injustè facere, qui id potiùs intuerentur, quod ipsorum dominationi, quàm quod universæ Græciæ uti-

le esset. Quare si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent; aliter illos nunquam in patriam essent recepturi.

THEMA XV.

1. Cae Temistocles en aborrecimiento de los suyos, quienes le destierran, y condenan por traidor. Huye este, y se acoge bajo la proteccion del rey Admeto.

Tamen non effugit civium suorum invidiam: namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragiis à civitate ejectus, Argos habitatum concessit. Hic quum propter multas ejus virtutes magna cum dignitate viveret, Lacedæmonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, *quòd societatem cum Rege Persarum ad Græciam opprimendam fecisset.* Hoc crimine absens prodicionis est damnatus. Id ut audivit, quòd non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit. Ibi quum ejus principes civitatis animadvertisset timere, ne propter se bellum his Lacedæmonii et Athenienses indicerent, ad Admetum Molossorum Regem, cum quo ei hospitium fuerat confugit. Huc quum venisset, et in præséntia Rex abesset, quo majore religione se receptum tueretur, filiam ejus párvulam arripuit, et cum ea se in sacrarium, quod summà colebatur ceremonià, conjecit. Indè non prius egressus est, quàm Rex eum datà dextrà in fidem reciperet, quam præstitit.

2. Embárcase Temistocles disfrazado, y arrostrando vários peligros llegó á Efeso.

Nam quum ab Atheniënsibus et Lacedæmoniis expo-

sceretur publicè, supplicem non pròdidit; monuitque, *ut consuleret sibi: difficile enim esse, in tam propinquo loco tutò eum versari.* Itaque Pydnam eum deduci jussit, et quod satis esset præsidiì dedit. Hac re audita, hic in navem ómnibus ignotus nautis ascendit. Quæ quum tempestate máximà Naxum ferretur, ubi tum Atheniènsium erat exércitus, sensit Themístocles, si eò pervenisset, sibi esse pereundum. Hac necessitate coactus, dómino navis qui sit, áperit, multa pòllicens si se conservasset. At ille clarissimi viri captus misericordia, diem noctemque procul ab insula in salo navem ténuit in áncoris, neque quemquam ex ea exire passus est. Inde Ephesum pervenit, ibique Themístoclem exponit: cui ille pro méritis grátiam póstea rétulit.

THEMA XVI.

4. Pasa Themístocles al Asia, y se acoge á la proteccion del Rey, ofreciéndole su servicio por medio de una carta.

Scio plerosque ita scripsisse, Themístoclem, Xerxe regnante, in Asiam transiisse. Sed ego potíssimum Thucydidi credo, quòd ætate próximus erat, qui illorum témporum históriam reliquerunt, et ejusdem civitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum venisse, atque his verbis epístolam misisse: *Themístocles veni ad te, qui plúrima mala ómnium Grajorum in domum tuam intuli, quum mihi necesse fuit adversum patrem tuum bellare, patriamque meam defendere. Idem multò plura bona feci, postquam in tuto ipse, et ille in periculo esse cæpit. Nam quum in Asiam reverti vellet, prælio apud Salamina facto, literis*

eum certiore feci, id agi, ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atque ab hostibus circumiretur. Quo nuntio ille periculo est liberatus. Nunc ad te autem confugi, exagitatus à cuncta Græcia, tuam petens amicitiam: quam si ero adeptus, non minùs me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, de quibus tecum loqui volo, annum mihi temporis des, eoque transacto, me ad te venire patiaris.

THEMA XVII.

4. Temistocles hace grandes promesas al Rey: este admira su valor, y le da muchos regalos.

Hujus Rex ánimo magnitudinem admirans, cupiensque talem virum sibi conciliari, véniam dedit. Ille omne illud tempus literis sermonique Persarum dedit; quibus ádeo eruditus est, ut multò commódiùs dicatur apud Regem verba fecisse, quàm hi póterant, qui in Pérside erant nati. Hic quum multa Regi esset pollicitus, gratissimumque illud, *si suis uti consiliis vellet, illum Græciam bello oppressurum*; magnis munéribus ab Artaxerxe donatus, in Asiam rédiit; domiciliumque Magnésiæ sibi constituit. Namque hanc urbem ei Rex donarat, his usus verbis; *quæ ei panem præberet: ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant: Lámpsacum autem, unde vinum súmeret: Myntem, ex qua obsónium haberet.*

2. Muerte y sepultura de este general.

Hujus ad nostram memóriam monumenta manserunt

duo: sepulcrum prope oppidum in quo est sepultus; staturæ in foro Magnesiæ. De cuius morte multimodis apud plerosque scriptum est: sed nos eundem potissimum *Thucydidem* auctorem probamus: qui *illum* ait *Magnesiæ morbo mortuum*: neque negat *fuisse famam*, *venenum suâ sponte sumpsisse*, *quum se, quæ Regi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret*. Idem ossa ejus clam in Attica ab amicis esse sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditiōis esset damnatus, memoriæ pròdidit.

CONON.

THEMA XVIII.

1. Conon acreditada su pericia y valor en la guerra del Peloponeso. Los Atenienses le tributan honores; y atribuyen á su ausencia la victoria de Lisandro.

Conon Atheniensis Peloponnésio bello accessit ad Rempúblicam, in eoque ejus ópera magni fuit. Nam et prætor pedèstribus exercitibus præfuit, et præfectus classis res magnas mari gessit. Quas ob causas præcipuus ei honos hábitus est. Namque ómnibus unus insulis præfuit. In qua potestate Pharas cepit, coloniam Lacedæmoniorum. Fuit étiam extremo Peloponnésio bello prætor, quum apud Ægos flumen cópiæ Atheniënsum à Lysandro sunt devictæ. Sed tum absfuit, eoque

pejus res administrata est. Nam et prudens rei militaris, et diligens erat Imperator. Itaque némini erat his temporibus dubium, si affuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse.

2. Viendo su pátria en peligro, busca medios de favorecer á los suyos. Corta los planes de Agesilao, y presta buenos servicios á los generales de Artaxerxes.

Rebus autem afflictis, quum pátriam obsideri audisset, non quæsit, ubi ipse tutò viveret, sed unde præsidio posset esse civibus suis. Itaque contulit se ad Pharnabazum sátrapem Ióniæ et Lydiæ, eundemque génerum Regis et propinquum: apud quem ut multum grátiâ valeret, multo labore multisque effecit periculis. Nam, quum Lacedæmónii, Atheniënsibus devictis, in societate non manerent, quam cum Artaxerxe fécerant, Agesilaumque bellatum misissent in Asiam, máximè impulsus à Tissapherne, qui ex íntimis Regis ab amicitia ejus defécerat, et cum Lacedæmóniis coierat societatem: hunc adversus Pharnabazus hábitus est Imperator; re quidem vera exercitui præfuit Conon, ejusque ómnia arbitrio gesta sunt. Hic multum ducem summum Agesilaum impedivit, sæpeque ejus consiliis obstitit. Neque verò non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaum Asiam Tauro tenus Regi fuisse erepturum. Qui posteaquam domum à suis civibus revocatus est, quòd Bœotii et Atheniënses Lacedæmóniis bellum indixerant, Conon nihilo sécius apud præfectos Regis versabatur, hisque ómnibus máximo erat úsui.

THEMA XIX.

1. Prudencia de Conon en el desempeño del cometido que le hace Farnabazo, para que descubra al Rey la traicion de Tisafernes.

Defecerat à Rege Tissaphernes, neque id tam Artaxerxi, quàm ceteris, erat apertum. Multis enim magnisque méritis apud Regem, étiam quum in officio non maneret, valebat. Neque id mirandum, si non facile ad credendum inducebatur, reminiscens, ejus se opéra Cyrum fratrem superasse. Hujus accusandi gratià Conon à Pharnabazo ad Regem missus, posteaquam venit, primùm ex more Persarum ad Chiliarchum, qui secundum gradum impérii tenebat, Tithraustem accessit, *seque ostendit cum Rege colloqui velle*: nemo enim sine hoc admittitur. Huic ille; *nulla, inquit, mora est sed tu delibera, utrum colloqui malis, an per literas ágere, quæ cógitas: necesse est enim, si in conspectum véneris, venerari te Regem; quod προσχυσῆν, illi vocant: Hoc si tibi grave est, per me nihilo séciùs, éditis mandatis, conficies quod studes*. Tum Conon: *Mihi verò, inquit, non est grave quemvis honorem habere Regi: sed véreor, ne civitati meæ sit oppróbrio, si, quum ex ea sim profectus, quæ ceteris géntibus imperare consuéverit, pótius barbarorum, quàm illius more fungar*. Itaque quæ volebat, huic scripta trádedit.

THEMA XX.

1. Resultados de esta embajada. Conon hace la guerra á los Lacedemonios con el auxilio de Farnabazo.

Quibus cógitis, Rex tantum auctoritate ejus motus

est, ut Tissaphernem hostem judicáverit, et Lacedæmónios bello pérsequi jüsserit, et ei permiserit, quem vellet eligere ad dispensandam pecúniám. Id arbitrium Conon *negavit sui esse consilii sed ipsius, qui óptimè suos nosse deberet, sed se suadere, Pharnabazo id negótii daret*. Hinc magnis munéribus donatus ad mare est missus, ut Cypriis, et Phœnicibus, ceterisque maritimis civitatibus naves longas imperaret, clasemque, qua próxima æstate mare túeri posset, compararet: dato adjutore Pharnabazo, sicut ipse volúerat. Id ut Lacedæmóniis est nunciatum, non sine cura rem administrarunt, quòd majus bellum imminere arbitrabantur, quàm si cum bárbaro solùm contènderent. Nam ducem fortem et prudentem régiis ópibus præfuturum, ac secum dimicaturum videbant: quem neque consilio, neque cópiis superare possent.

2. Vence Conon á los Lacedemonios. Los Griegos logran la libertad, y reparan sus murallas.

Hac mente magnam cóntrahunt classem, et profici-scúntur Pisándro duce. Hos Conon apud Gnidum adortus magno prælio fugat, multas naves capit, complures déprimit. Quà victoriá non solùm Athenæ, sed étiam cuncta Græcia quæ, sub Lacedæmoniorum fúerat império, liberata est. Conon cum parte návium in pátriam venit: muros dirutos á Lysandro utrosque et Piræi, et Athenarum, reficiendos curat: pecuniæque quinquaginta talenta, quæ á Pharnabazo accéperat, civibus suis donat.

THEMA XXI.

1. Conon, deseando aun cosas mayores, fué engañado por Tiribazo, quien le encerró en una prision.

Accidit huic, quod céteris mortálibus ut inconsideratior in secunda, quàm in adversa esset fortuna. Nam classe Peloponnesiorum devicta, quum ultum se injurias pátriæ putaret, plura concupivit, quàm efficere pótuit. Neque tamen ea non pia et probanda fuerunt, quòd pótius pátriæ opes augeri quàm Regis máluit. Nam, quum magnam auctoritatem sibi pugnà illa navali, quam apud Gnidum fécerat, constituisset, non solùm inter Bárbaros, sed étiam inter omnes Græciæ civitates, clam dare óperam cœpit, *ut Ióniam et Eóliam restitueret Atheniénsibus*. Id quum minùs diligenter esset celatum, Tiribazus, qui Sárdibus præerat, Cononem evocavit simulans *ad Regem cum se mittere velle magna de re*. Hujus nuntio parens quum venisset, in vincula coniectus est: in quibus aliquándiu fuit. Nonnulli *eum ad Regem adductum, ibique perissee* scriptum reliquerunt. Contra ea *Dinon* históricus, cui nos plúrimùm de Pérsicis rebus crédimus, *effugisse* scripsit: illud addúbitat, *utrùm Tiribazo sciente an imprudente sit factum*.

ARISTIDES.

THEMA XXII.

1. Aristides, llamado el Justo, fué antagonista de Temistocles, quien le condenó á destierro por diez años; pero al sexto se le hizo volver á su patria.

Aristides, Lysimachi filius, Atheniensis, æqualis

feré fuit Themistoeli. Itaque cum eo de principatu contendit: namque obtrectarunt inter se. In his autem cónitum est, quanto antistaret eloquentia innocentiae. Quamquam enim ádeo excellebat Aristides abstinéntia, ut unus post hóminum memóriam, quod quidem nos audierimus, cognómine *Iustus* sit appellatus, tamen à Themistocle collabefactus téstulà illà, exsilio decem annorum multatus est. Qui quidem quum intelligeret réprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animadvérteret quemdam scribentem, ut pátrià pelleretur, quæsisse ab eo dicitur, *quare id fáceret, aut quid Aristides commisisset, cur tantà pœnà dignus duceretur?* Cui ille respondit: *se ignorare Aristidem; sed sibi non placere, quòd tam cupidè elaborasset, ut præter céteros Iustus appellaretur.* Hic decem annorum legitimam pœnam non pértulit. Nam postquam Xerxes in Græciam descendit, sexto ferè anno quàm erat expulsus, plebiscito in pátriàm restitutus est.

THEMA XXIII.

1. Hallóse Aristides en la batalla de Platea, y enalteció el gobierno de los Atenienses.

Intérfuit autem pugnae navali apud Salamina, quæ facta est prius, quàm pœnà liberaretur. Idem prætor fuit Atheniénsium apud Plateas in prælio, quo Mar-dónius fusus, barbarorumque exércitus est interfectus. Neque aliud est ullum hujus in re militari illustre factum, quàm hujus imperii memória; justitiæ verò et æquitatis, et innocentiae multa. In primis, quòd ejus æquitate factum est, quum in communi classe esset

Græciæ simul cum Pausânia, quo duce Mardónius erat fugatus, ut summa impérii maritimi ab Lacedæmóniis transferretur ad Athenienses. Namque ante id tempus et mari et terrâ duces erant Lacedæmónii. Tum autem et intemperantiâ Pausaniæ, et justitiâ factum est Aristidis, ut omnes ferè civitates Græciæ ad Atheniènsium societatem se applicarent, et adversus bárbaros hos duces deligerent sibi, quò faciliùs repèllerent, si fortè bellum renovare conarentur.

2. Pruebas evidentes de su justificacion.

Ad classes ædificandas, exércitusque comparandos, quantum pecuniæ quæque civitas daret, Aristides delectus est, qui constitúeret. Ejus arbitrio quadringenta et sexaginta talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune aerárium esse voluerunt. Quæ omnis pecúnia póstero témpore Athenas translata est. Hic quâ fúerit abstinéntiâ, nullum est cértius indícium, quàm quòd, quum tantis rebus præfuisset, in tanta paupertate decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit. Quo factum est, ut filiæ ejus públicè alerentur, et de communi aerário dótibus datis collocarentur. Decessit autem ferè post annum quartum, quàm Themistocles Athenis erat expulsus.

TIMOTEO.

THEMA XXIV.

1. Excelentes cualidades de Timoteo: sus empresas y acciones memorables.

Timótheus, Cononis filius, Atheniensis. Hic à patre

acceptam gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neque minùs civitatis regendæ. Multa hujus sunt præclare facta, sed hæc máximè illústria. Olynthios et Byzántios bello subegit. Samum cepit; in qua oppugnanda superiore bello Athenienses mille et ducenta talenta consúmpserant. Hanc ille sine ulla pública impensa pópulo restituit. Adversum Cotim bella gessit, ab eoque mille et ducenta talenta prædæ in públicum détulit. Cyzicum obsidione liberavit. Ariobarzani simul cum Agesilao auxilio profectus est: à quo quum Laco pecúniã numeratam accepisset, ille cives suos agro atque úrbibus augeri máluit, quàm id sùmere, cujus partem domum suam ferre posset. Itaque accepit Erichthonem, et Sextum.

2. Bajo su mando quedan los Atenienses señores del mar, y le erigen una estatua.

Idem classi præfectus circúmvehens Peloponnesum, Lacónicã populatus, classem eorum fugavit. Coreýram sub impérium Atheniénsium redegit: sociosque idem adjunxit Epirotas, Athamanas, Cháonas, omnesque eas gentes, quæ mare illud ádjacent. Quo facto Lacedæmonii de diútina contentione destiterunt, et sua sponte Atheniénsibus impérii maritimi principatum concesserunt; pacemque his légibus constituerunt, *ut Athenienses mari duces essent*. Quæ victória tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum primùm aræ Paci públicæ sin factæ, eique Deæ pulvinar sit institutum. Cujus laudis ut memória maneret, Timótheo públicè státuam in foro posuerunt: qui honos huic uni ante hoc tem-

pus cōtingit, ut, quum patri pópulus státuam posuisset, filio quoque daret. Sic juxtà pòsita recens filii, véterem patris renovavit memóriam.

THEMA XXV.

1. Desgracias de los Atenienses despues que Timoteo dejó los cargos públicos. Disposiciones que toman para la guerra.

Hic quum esset magno natu, et magistratus gérere desiisset, bello Athenienses úndique premi sunt cœpti. Defecerat Samus: descierat Hellespontus: Philippus jam tum valens Mácedo multa moliebatur: cui oppòsitus Chares quum esset, non satis in eo præsídii putabatur. Fit Menéstheus, prætor, filius Iphicratis, gener Timóthei, et ut ad bellum proficiscatur, decérnitur. Huic in consilium dantur duo usu, sapiéntiæque præstantes, quorum consilio uteretur, pater et socer: quòd in his tanta erat auctóritas, ut magna spes esset, per eos amissa posse recuperari.

2. Malograda empresa naval de Samos. Acusacion y condena de Timoteo.

Hi quum Samum profecti essent, et eodè Chares, adventu eorum cògnito, cum suis cópiis proficisceretur, ne quid absente se gestum videretur; accedit, quum ad insulam appropinquarent, ut magna tempestas oriretur: quam evitare duo véteres imperatores útile arbitrati, suam classem suppresserunt. At ille temeráriâ usus ratione, non cessit majorum natu auctoritati: et ut in suâ navi esset fortuna, quò contènderat, pervénit: eodè ut sequerentur, ad Timótheum et

Iphicratem nūciūm misit. Hinc malè re gesta, com-
plūribus amissis nāvibus, eodè, unde erat profectus,
se recepit, literasque Athenas públicè misit, *sibi pro-
clive fuisse Samum cāpere, nisi à Timótheo et
Iphicrate desertus esset*. Ob eam rem in crimen voca-
bāntur. Pópulus acer, súpicax, móbilis, adversárius,
invidus étiam poténtiæ, domum révoCAT: accusantur
proditiónis. Hoc judicio damnatur Timótheus, lisque
ejus æstimatur centum taléntis. Ille ódio ingrátæ civi-
tatis coactus, Chálcidem se cóntulit.

THEMA XXVI.

1. Inconstancia de los hombres. Variedad de la fortuna.
Probidad y sabiduria de Timoteo.

Hujus post mortem quum pópulum judicii sui pœni-
teret, mulctæ novem partes detraxit, et decem talenta
Cononem filium ejus ad muri quamdam partem refi-
ciendam jussit dare: in quo fortunæ varietas est ani-
madversa. Nam quos avus Conon muros ex hostium
præda pátriæ restitúerat, eosdem nepos, cum summa
ignominia familiæ, ex sua re familiari reficere coactus
est. Timóthei autem moderatæ sapientisque vitæ quum
pléraque possimus proferre testimónia, uno érimus
contenti, quòd ex eo fácilè cónjici póterit, quàm carus
suis fúerit.

2. Desiéndese en juicio siendo aun jóven. Fidelidad de Ja-
son. Exigencias del pueblo. Faltan ya generales en Atenas.

Quum Athenis adolescéntulus causam diceret, non
solūm amici, privatique hópites ad eum defendendum
convenerunt, sed étiam in eis Jason tyrannus, qui illo

témpore fuit ómnium potentíssimus. Hic quum in pátria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo præsidio venit: tantique hóspitem fecit, ut mallet se cápitis periculum adire, quàm Timótheo de fama dimicanti deesse. Hunc adversus tamen Timótheus póstea pópuli jussu bellum gessit, patriæque sanctiora jura, quàm hospitii, esse duxit. Hæc extrema fuit ætas Imperatorum Atheniénsium, Iphicratis, Chábriæ, Timóthei: neque post illorum óbitum, quisquam dux in illa urbe fuit dignus memóriâ.

T. POMPONIO ÁTICO.

THEMA XXVII.

1. Ático, descendiente de la antigua nobleza romana, recibió buena educacion, y sobresalió entre sus condiscípulos.

Titus Pomponius Atticus, ab origine última stirpis Romanæ generatus, perpétuò à majóribus acceptam equéstrem obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente, indulgente, et ut tum erant témpora, diti, in primisque studioso literarum. Hic, prout ipse amabat literas, ómnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudivit. Erat autem in púero, præter docilitatem ingénii, summa suávitatis oris ac vocis, ut non solùm celériter arríperet quæ tradebantur, sed étiam excellenter pronunciaret. Qua ex re in pueritia nóbilis inter æquales ferebatur, clariúsque explendebat, quàm generosi condiscípuli ánimo æquo ferre possent. Itaque incitabat omnes stúdio suo: quo in número fuerunt L. Torquatus, C. Márius, C. Fílius, M.

Cícero: quos consuetúdi- ne suà sic sibi devinxit, ut nemo iis perpétuò fúerit cárior.

2. Su parentesco con Sulpicio: peligros que de esto resultaron. Retirase á estudiar en Aterras, para no verse comprometido á tomar parte en la guerra civil.

Pater maturè decessit. Ipse adolescéntulus propter affinitatem P. Sulpicii, qui Tribunus plebis interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namque Anicia Pompónii consobrina núpserat M. Sêrvio fratri P. Sulpicii. Itaque interfecto P. Sulpicio, pósteaquam vidit, Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin altêrutram partem offênderet, dissociatis ánimis civium, quum álii Syllanis, alii Cinnanis faverent pártibus: idóneum tempus ratus stúdiis obsequendi suis, Athenas se cóntulit. Neque eò sécius adolescentem Márium, hostem judicatum, juvit ópibus suis; cujus fugam pecúniâ sublevavit. Ac ne illa peregrinatio detrimentum áliquod afferret rei familiari, eòdem magnam partem fortunarum trajecit suarum.

THEMA XXVIII.

1. Cáptase Ático el amor de los Athenienses, y socorre generosamente sus necesidades.

Hic ita vixit, ut universis Atheniënsibus méritò esset caríssimus. Nam, præter grátiam, quæ jam in adolescéntulo magna erat, sæpius suis ópibus inópiam eorum públicam levavit. Quum enim versuram fácere públicè necesse esset, neque ejus conditionem æquam haberent; semper se interpósuit, atque ita, ut neque

usuram unquam ab iis accéperit, neque lóngiús quàm dictum esset eos debere passus sit. Quod utrumque erat iis salutare. Nam neque indulgendo inveteráscere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris créscere. Auxit hoc officium ália quoque liberalitate. Nam universos frumento donavit, ita ut singulis sex módii trítici darentur: qui modus mensuræ, *Medimnus* Athenis appellatur.

2. Estos corresponden agradecidos, le tributan honores, y le erigen estátuas.

Hic autem sic se gerebat, ut communis ínfimis, par principibus videretur. Quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, públicè haberent, civemque fácere studerent. Quo beneficio ille uti nóluit. Quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam, ália adscitá. Quámdiu ádfuit, ne qua sibi státua poneretur, restítit: absens prohibere non pótuit. Itaque áliquot, ipsi, et Piliæ locis sanctíssimis, posuerunt. Hunc enim in omni procuratione Reipúblicæ actorem, auctoremque habebant. Igitur primum illud munus fortunæ, quod in ea potissimùm urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset impérii, ut eandem et pátriam haberet et domum. Hoc spécimen prudentiæ, quòd, quum in eam civitatem se contulisset, quæ antiquitate, humanitate, doctrinà præstaret omnes, unus ei ante álios fúerit caríssimus.

THEMA XXIX.

1. Entra Sila en Athenas, y prendado de las buenas cualidades de Atico pretende llevarlo consigo. Este se escusa con prudencia; aquel le colma de regalos.

Hùc ex Asia Sylla decedens quum venisset, quámdiu

ibi fuit, secum hábuit Pompónium, captus adolescentis et humanitate et doctrinà. Sic enim Græcè loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem suávitás erat sermonis latini, ut appareret, in eo nativum quemdam leporem esse, non adscitum. Idem poëmata pronuntiabat et græcè et latinè, sic ut suprà nihil posset addi. Quibus rebus factum est, ut Sylla nusquam eum ab se dimitteret, cupperetque secum dedúcere. Cui quum persuadere tentaret, *noli, oro te*, inquit Pompónius, *adversùm eos me velle dúcere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiám reliqui*. At Sylla, adolescentis officio collaudato, ómnia múnera ei, quæ Athenis accéperat, proficiscens jussit deferri.

2. Ocupaciones de Atico en Atenas. Vúelvase á Roma después de haber prestado buenos servicios á muchos de sus amigos.

Hic cumplures annos moratus, quum et rei familiari tantum opæ daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias, et ómnia reliqua témpora aut literis, aut Atheniénsium Reipublicæ tribueret, nihilóminus amicis urbana officia præstitit. Nam et ad comitia eorum ventitavit, et si qua res major acta est, non defuit: sicut Ciceroni in ómnibus ejus periculis singularem fidem præbuit: cui ex pátria fugienti LLS (1) ducenta et quinquaginta millia donavit. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta et L. Torcuato Coss. (2) quem diem sic uni-

(1) LLS.—*Sextertiorum*.

(2) Coss.—*Consulibus*.

versa civitas Atheniënsium prosecuta est, ut lácrymis desidérii futuri dolorem indicaret.

THEMA XXX.

1. Cecilio le hizo heredero de la mayor parte de sus riquezas, en premio del agrado con que sobrellevó su mal genio. Ciceron y Hortensio le quieren entrañablemente.

Habebat avúnculum Q. Cæcilium Equitem Romanum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillimà naturà, cujus sic asperitatem véritus est, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summam senectutem retinúerit benevoléntiam. Quo facto, tulit pietatis fructum. Cæcilius enim móriens, testamento adoptavit eum, hæredemque fecit ex dodrante; ex qua hereditate accepit circiter cénties LLS (1). Erat nupta soror Attici Q. Túllio Ciceroni; easque núptias M. Cícero conciliarat, cum quo à condiscipulatu vivebat conjunctissimè, multo étiam familiárius quàm cum Quinto; ut judicari possit, plus in amicítia valere similitúdinem morum, quàm affinitatem. Utebatur autem intímè Q. Horténsio, qui iis tempóribus principatum eloquéntiæ tenebat; ut intéllegi non posset, uter eum plus diligeret, Cícero, an Horténsius: et id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos tantæ laudis esset æmulátio, nulla intercéderet obtrectátio, essetque tálium virorum cópula.

2. Comportamiento de Atico con los ciudadanos: su prudencia en menospreciar los honores.

In Repúblicá ita versatus est, ut semper optimarum

(1) LLS.—*Centena millia sextertiorum.*

pártium et esset, et existimaretur; neque tamen se civilibus flúctibus committeret, quòd non magis eos in sua potestate existimabat esse qui se iis dedissent, quàm qui marítimis jactarentur. Honores non pètiit, quum ei paterent propter vel grátiam vel dignitatem: quòd neque peti more majorum, neque capi possent, conservatis légibus, in tam effusis ámbitus largitióibus, neque retineri sine perículo, corruptis civitatis móribus.

THEMA XXXI.

1. Atico era enemigo de cuestiones: jamás compareció en los tribunales; solo atendia á su independéncia y buena reputación.

Ad hastam públicam nunquam accessit. Nullius rei neque præs, neque manceps factus est. Néminem suo nómine, neque subscribens accusavit. In jus de sua re nunquam iit; judicium nullum hábuit. Multorum cónsulum, prætorumque præfecturas delatas sic accepit, ut néminem in provínciam sit secutus; honore fúerit contentus, rei familiaris despéxerit fructum. Qui ne cum Q. quidem Cicerone volúerit ire in Asiam, quum apud eum legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, quum præturam gérere noluisset, ásseclam esse prætoris. Qua in re non solum dignitati serviebat, sed étiam tranquillitati, quum suspiciones quoque vitaret críminum. Quo fiebat, ut ejus observántia ómnibus esset cárior, quum eam officio, non timori, neque spei, tribui viderent.

2. Se escusa de tomar parte en la guerra civil, portándose de manera que á todos agrada, y aun recibe mercedes.

Incídit Cæsarianum civile bellum, quum haberet annos circiter sexaginta. Usus est ætatis vacatione, neque se quoquàm movit ex urbe. Quæ amicis suis opus fuerant ad Pompejum proficiscéntibus, ómnia ex sua re familiari dedit. Ipsum Pompejum non junctus non offendit. Nullum enim ab eo habebat ornamentum, ut ceteri, qui per eum aut honores, aut divitias cèperant: quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summà cum ejus offensione domi remanserunt. Attici autem quies tantóperè Cæsari fuit grata, ut victor quum privatis pecúnias per epístolas imperaret, huic non solùm molestus non fuérit, sed étiam sororis filium et Q. Ciceronem ex Pompeii castris concésserit. Sic vétére instituto vitæ, effugit nova pericula.

THEMA XXXII.

4. Acontecimientos que sobrevienen á la muerte de César. Atico con urbanidad y mesura desconcierta los planes que Flavio le revela.

Secutum est illud, occiso Cæsare, quum Respública penes Brutos videretur esse, et Cássium, ac tota civitas se ad eos convertisse. Sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens æquali familiarius, quàm hoc sene: neque solùm eum principem consilii haberet, sed étiam in convictu. Excogitatum est à quibusdam, ut privatum ærarium Cæsaris interfectóribus ab equitibus Romanis constitueretur. Id fácilè éffici posse arbitrati sunt, si et principes illius órdinis pecúnias contulis-

sent. Itaque appellatus est à Cajo Flavio, Bruti familiâ-
ri, Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet. At ille, qui
officia amicis præstanda sine factione existimaret, sem-
perque à talibus se consiliis removisset, respondit:
si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset,
usurum quantum eæ paterentur: se neque cum quo-
quam de ea re collocuturum, neque coiturum. Sic ille
consensionis globus, hujus unius dissensione disiectus
est.

2. Prevalece Antonio contra Bruto y Casio. Favorece Atico
a Bruto y otros desgraciados.

Neque multò post supèrior esset cœpit Antónius, ita ut
Brutus et Cássius provinciarum quæ iis necis causâ da-
tæ erant à consúlibus desperatis rebus, in exsilium
proficiscerentur. Atticus, qui pecúniâ simul cum cé-
teris conferre nolúerat florenti illi parti: abjécto Bruto
Italiâque cedenti, LLS. (1) centum milia múnere mis-
sit. Eidem in Epiro absens trecenta jussit dari: neque
eò magis potenti adulatus est António, neque desperatos
reliquit.

THEMA XXXIII.

4. Sobreviene la guerra de Módena, en que resalta la pru-
dencia de Atico. Odio general contra Antonio y su familia.

Secutum est bellum gestum apud Mútinam. In quo
si tantum eum prudentem dicam, minus quam debeam,
prædicem; quum ille pótius divinus fuérit: si divinatio
appellanda est perpétua naturalis hónitas, quæ nullis

(1) Sextertiorum.

easibus ágitur neque minúitur. Hostis Antónius judicatus, Itáliá césserat; spes restituendi nulla erat. Non solum ejus inimici, qui tum erant potentíssimi et plúrimi, sed étiam amici adversariis ejus se dabant: et in eo lædendo se áliquam consecuturos sperabant commoditatem; ejus familiares insequabantur, uxorem Fúlviam ómnibus rebus spoliare cupiebant, liberos étiam extingueré parabant.

2. Hace Atico con Volumnio y Fulvia servicios de un buen padre, despreciando las hablillas de algunos.

Atticus quum Ciceronis íntima familiaritate uteretur, amicíssimus esset Bruto; non modò nihil iis indulsit ad Antónium violandum, sed è contráriò familiares ejus ex urbe profugientes, quantùm pótuít, textit: quibus rebus indiguerunt, adjuvit. P. verò Volúmnio ea tribuit, ut plura à parente proficisci non potúerint. Ipsi autem Fulviæ, quum lítibus distineretur, magnisque terróribus vexaretur, tantà diligentia officium suum præstitit, ut nullum illa stíterit vadimónium sine Attico, hic sponsor ómnium rerum fúerit. Quia étiam quum illa fundum secundà fortunà emisset in diem, neque post calamitatem versuram fácere potuisset; ille se interpósuit, pecuniamque sine fœnore, sineque ulla stipulatione ei crédidit; máximum existimans quæstum, mémorem gratumque cognosci, simulque aperire, se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicum. Quæ quum faciebat, nemo eum témporis causá fácere póterat existimare. Némini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. Sed sensim is à nonnullis optimátibus reprehendebatur,

quòd parum odisse malos cives videretur. Ille autem sui iudicii, pótius, quid se fácere par esset, intuebatur, quàm quid álii laudaturi forent.

THEMA XXXIV.

1. Vuelve Antonio al poder. Variedad de la fortuna. Deja de asistir Atico á los tribunales, siendo un modelo de honradez.

Conversa súbitò fortuna est. Ut Antónius rédiit in Itáliam, nemo non magno in periculo Atticum futurum putárat, propter íntimam familiaritatem Ciceronis et Bruti. Itaque ad adventum imperatorum de foro decéserat, timens proscriptionem: latebatque apud P. Volúmnium, cui, ut osténdimus paulò ante opem túlerat: (tanta varietas iis tempóribus fuit fortunæ, ut modò ii, modò illi in summo essent aut fastigio, aut periculo): habebatque secum Q. Gélium Cánium, æqualem, simillimumque sui. Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quòd cum eo, quem puerum in ludo cognóverat ádeo conjunctè vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum créverit.

2. Antonio le respeta, protege y conserva ileso en medio de las discordias civiles. Bella comparacion alegórica en elogio de Atico.

Antónius autem, etsi tanto ódio ferebatur in Ciceronem, ut non solùm ei, sed ómnibus étiam ejus amicis esset inimicus, eosque vellet proscribere: multis hortántibus tamen, Attici memor fuit officii, et ei, quum requisisset úbinam esset, sua manu scripsit, *ne tímeret, statimque ad se veniret: se eum, et Gélium Cánium de proscriptorum número exémisse.*

Ac ne quod periculum incideret, quòd noctu fiebat, præsidium ei misit. Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, præsidio fuit. Neque enim suæ solum à quoquam auxilium petiit salutis, sed conjunctim, ut appareret nullam sejunctam sibi ab eo velle esse fortunam. Quòd si gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hieme marique scopuloso servat; cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot, tamque gravis procellis civilibus ad incolumitatem pervenit?

THEMA XXXV.

1. Generosidad de Ático con los desgraciados.

Quibus ex malis ut se emérsit, nihil aliud egit, quàm ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Quum proscriptos præmiis imperatorum vulgus conquereret, nemo in Epirum venit, cui res ulla defuérat. Némini non ibi perpétuò manendi potestas facta est. Quin etiam post prælium Philippense, interitumque C. Cássii et M. Bruti, L. Júlium Mocillam Prætorium, et ejus filium, Aulumque Torquatum; ceterosque pari fortunà perculsos, instituit tueri; atque ex Epiro his omnia Samothraciam supportari jussit. Difficile enim est omnia persequi, et non necessaria. Illud unum intelliigi volumus, illius liberalitatem, neque temporariam, neque callidam fuisse. Id ex ipsis rebus ac temporibus judicari potest, quòd non floréntibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit. Qui quidem Serviliam, Bruti matrem, non minùs post mortem ejus, quàm florentem, colúerit.

2. Reputacion que mereció por tan noble y liberal conducta.

Sic liberalitate utens, nullas inimicitias gessit: quòd neque lædebat quemquam, neque, si quam injúriam accéperat, malebat ulcisci, quàm oblivisci. Idem immortalí memórià percepta retinebat beneficia; quæ autem ipse tribúerat, tándiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui accéperat. Itaque hic fecit, ut verè dictum videatur: *Sui cuique mores fingunt fortunam*. Neque tamen prius ille fortunam, quàm se ipse finxit; qui cavit, ne qua in re jure plecteretur.

THEMA XXXVI.

1. Enlace de Pomponia con M. Vipsánio, amigo íntimo del César. Desinterés de Atico.

His igitur rebus effecit ut M. Vipsánius Agrippa, intimà familiaritate conjunctus adolescenti Cæsari, quum propter suam grátiam, et Cæsaris poténtiam, nullius conditionis non haberet potestatem, potissimùm ejus diligeret affinitatem, præoptaretque Equitis Romani filiam generosam núptiis. Atque harum nuptiarum conciliator fuit (non est enim celandum) M. Antónius, Triumvir Reipúblicæ constituendæ: ejus grátia quum augere possessiones posset suas, tantùm ábfuit á cupiditate pecúniæ, ut nulla in re usus sit eà, nisi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incómmodis. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit.

2. Recupera Saufeyo sus bienes por mediacion de Atico. Hace este igual servicio á Calidio. Reflexion del autor.

Nam quum L. Sauféii Equitis Romani, æqualis sui,

qui cum eo complures annos, stúdio ductus philosóphiæ, habitabat, habebatque in Itália pretiosas possessiones, triúmviri bona vendidissent, consuetúdine eâ, quâ tum res gerebantur: Áttici labore atque indústriâ factum est, ut eodem nuncio Saufejus fieret cértior, se patrimonium amisisse, et recuperasse. Idem L. Julium Calidium, quem post Lucréti Catullique mortem multò elegantissimum poëtam, nostram tulisse ætatem verè vídeor posse conténdere; neque minùs virum bonum, optimisque ártibus eruditum, post proscriptionem équitum, propter magnas ejus Africanas possessiones in proscriptorum númerum á P. Volúmnio, præfecto fabrùm Antónii, absentem relatum expedit. Quod in præsentí utrum ei laboriosius, an gloriósius fúerit, difficile fuit judicare: quòd in eorum periculis, non secùs absentes, quàm præsentés amicos Áttico esse curæ, cógnitum est.

THEMA XXXVII.

1. Ático fue hombre de talento, excelente ciudadano y buen padre de familia.

Neque verò minùs ille vir, bonus paterfamilias hábitus est, quàm civis. Nam, quum esset pecuniosus, nemo illo minùs fuit emax, minùs ædificator. Neque tàmén non in primis bene habitavit, omnibusque óptimis rebus úsus est. Nam domum hábuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab avúnculo hereditate relictam, cujus amœnitas non ædificio, sed silvâ constabat. Ip-



sum enim tectum antiquitùs constitutum, plus salis, quàm sumptus habebat: in quo nihil commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optimâ; si formâ, vix mediocri. Namque in ea erant pûeri literatissimi, anagnostæ optimi, et plûrimi librârii, ut ne pedissequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchrè facere posset.

2 Gobierno económico de su casa en la vida privada. Educacion de sus criados.

Pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprimè boni. Neque tamen horum quemquam, nisi domi natum, domique factum, habuit: quod est signum non solum continentiae, sed etiam diligentiae. Nam et non intemperanter concupiscere, quod à plûrimis videas, continentis debet duci: et potius diligentia, quàm pretio parare, non mediocris est industriae. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus; omni diligentia munditiam non affluentem affectabat: suppellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. Nec hoc praeteribo, quamquam nonnullis leve visum iri putem. Quum in primis lautus esset Eques Romanus, et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, scimus non ampliùs, quàm terna millia aeris, peraequè in singulos menses ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum. Atque hoc non auditum, sed cognitum praedicamus. Saepe enim propter familiaritatem domesticis rebus interfûimus.

THEMA XXXVIII.

1. La lectura sobre cosas de erudicion era la mejor vianda de su mesa. Aunque aumentó mucho su fortuna, no por eso vivió con más esplendidez que antes.

Nemo in convivio ejus aliud acróama audivit, quàm anagnostem; quod nos quidem jucundissimum arbitramur. Neque unquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est, ut non minùs ánimo, quàm ventre, convivæ delectarentur. Namque eos vocabat, quorum mores à suis non abhorrerent. Quum tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitæ consuetudine, tantâque usus est moderatione, ut neque in sestértio vices, quod à patre accéperat, parum se spléndidè gesserit; neque in sestertio cénties affluéntius vixerit, quàm institúerat; parique fastigio stéterit in utrâque fortuna. Nullos hábuit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumtuosam villam, neque in Itália, præter Ardeatinum et Nomentanum rústicum prædium; omnisque ejus pecuniæ réditus constabat in Epiróticis et urbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest, eum usum pecuniæ, non magnitudine, sed ratione metiri sôlitum.

2. Fué amante de la verdad: exacto en cumplir lo prometido: respetado y querido de todos.

Mendácium neque dicebat, neque pati póterat. Itaque ejus cómitas non sine severitate erat, neque grávitás sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarént. Quidquid rogabatur, religiosè promittebat: quòd non liberalis,

sed levis arbitrabatur, polliceri quod præstare non posset. Idem in nitendo quod semel admisisset, tantâ erat curâ, ut non mandatam, sed suam rem videretur âgere. Nunquam suscepti negotiî eum pertæsum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat; quâ nihil habebat cãrius. Quo fiebat, ut ómnia M. et Q. Ciceronum, Catonis, Márii, Q. Horténsii, Auli Torquati, multorum præterea Equitum Romanorum negotia procuraret. Ex quo judicari póterat, non inértiâ, sed iudicio, fugisse reipúblicæ procurationem.

THEMA XXXIX.

1. Carácter bondadoso y simpático de Pomponio. Cartas que recibe de Ciceron, en las cuales le presagia lo que ha de suceder.

Humanitatis verò nullum afferre majus testimonium possum, quàm quòd adolescens idem seni Syllæ fúerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto; cum æquálibus autem suis, Q. Horténsio et M. Cicerone, sic vixerit, ut judicari difficile sit, cui ætati fúerit aptissimus. Quamquam eum præcipuè dilexit, Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus cãrior fúerit, aut familiãrior. Ei rei sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus jam sunt éditî, sêxdecim volúmina epistolarum, ab consulatu ejus usque ad extremum tempus, ad Atticum missarum: quæ qui legat, non multum desideret históriam contextam illorum témporum. Sic enim ómnia de stúdiis principum, vitiis ducum, mutationibus Reipúblicæ perscripta sunt, ut nihil in iis non appáreat, et fácilè existimari possit,

prudéntiam quodámodo esse divinationem. Non enim Cícero ea solúm, quæ vivo se acciderunt futura prædixit; sed étiam quæ nunc usuvéniunt, cécinit ut vates.

2. Su piadoso corazon con la madre y hermana. Aprovecha las máximas de los más célebres filósofos para el gobierno de su vida.

De pietate autem Átici quid plura commémorem? quum hoc ipsum verè gloriantem audierim in fúnere matris suæ, quam éxtulit annorum nonaginta, quum esset septem et sexaginta, *se nunquam cum matre in grátiam rediisse, nunquam cum sorore fuisse in similitudine*, quam propè æqualem habebat. Quod est signum aut nullam unquam inter eos querimóniam intercessisse, aut hunc eá fuisse in suos indulgéntiá, ut quos amare deberet, irasci eis nefas dúceret. Neque id fecit naturá solúm, quamquam omnes ei paremus; sed étiam doctrinà. Nam et principum Philosophorum ita percepta hábuit præcepta, ut iis, ad vitam agendam, non ad ostentationem, uteretur.

THEMA XL.

1. Amor de Atico á las costumbres antiguas. Su obra sobre la Magistratura. Juicio critico de ella. Otros escritos importantes del mismo.

Moris étiam majorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator: quam ádeo diligenter hábuit cónitam, ut eam totam in eo volúmine exposúerit, quo Magistratus ornavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est pópuli Romani,

quæ non in eo suo tempore sit notata: et, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexit, ut ex eo clarorum virorum propágines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu, Júniam familiam à stirpe ad hanc ætatem ordine enumeráverit, notans, qui, à quo ortus, quos honores, quibusque temporibus cepisset: pari modo, Marcelli Claudii, Marcellorum; Scipionis Cornélii, et Fábii Máximi, Corneliorum et Fabiorum, et Æmiliorum quoque: quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum.

2. Atico escribió algunas cosas en verso. Su obra en griego sobre el consulado de Ciceron.

Attigit quoque poëticen: crédimus, ne ejus expertus esset suavitatis. Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi præstiterunt, expósuit: ita ut sub singulorum imaginibus facta, magistratusque eorum non ampliùs quaternis, quinisve versibus descripserit. Quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari. Est etiam liber Græcè confectus de consulatu Ciceronis. Hactenus, Attico vivo, édita hæc à nobis sunt.

THEMA XLI.

1. Prosigue Nepote la vida de Atico. Este por su noble conducta llegó á emparentar con el emperador Octaviano. Su prosperidad: tiene Atico una nieta: esponsales de esta: consecuencias.

Nunc, quóniam fortuna nos supérstites ei esse vóluit, reliqua persequemur: et quantum poterimus, re-

rum exemplis lectores docébimus, sicut suprà significávimus, *suos cuique mores plerumque conciliare fortunam*. Namque hic contentus órđine Equestri, quo erat ortus, in affinitatem pervenit Imperatoris Divi Júlíi filii: quum jam ante familiaritatem ejus esset consecutus, nullà álià re, quàm elegantià vitæ, quã céteros céperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliore. Tanta enim prospéritas Cæsarem est consecuta, ut nihil ei non tribúerit fortuna, quod cuiquam antè detúlerit; et conciliárit, quod nemo adhuc civis Romanus quivit cónsequi. Nata autem est Áttico neptis ex Agrippa, cui virgínem filiam collocárat. Hanc Cæsar vix annículam, Tibério Claudio Neroni, Drusillà nato, privigno suo, despondit: quæ conjunctio necessitúdinem eorum sanxit, familiaritatem réddidit frequentíorem.

THEMA XLII.

4. Correspondencia entre Atico y César. Asuntos sobre que versan sus cartas.

Quamvis ante hæc sponsália non solùm, quum ab urbe abesset, nunquam ad suorum quemquam literas misit, quin Áttico mitteret, *quid ágeret*, in primis *quid légeret*, *quibusque in locis*, *et quàmdiu esset moraturus*: sed étiam quum esset in urbe, et propter suas infinitas occupationes minùs sæpè, quàm vellet, Áttico frueretur, nullus dies tamen tēmerè intercessit, quo non ad eum scriberet: quo non áliquíd de antiquitate ab eo requireret: modò áliquam ei quæstionem

poëticam propóneret: interdum jocans ejus verbosiores eliceret epístolas

2. Repara César el templo de Júpiter á instancias de Atico. Cartas de este á M. Antonio. Su prudencia admirable en conservar su amistad entre dos rivales.

Ex quo áccidit, quum ædes Jovis Ferétrii in capitolio ab Rómulo constituta, vetustate atque incúriâ detecta prolaberetur, ut Áttici admónitu Cæsar eam reficiendam curaret. Neque veró ab M. António minùs absens literis colebatur; ádeo, ut accuratè ille ex últimis terris, *quid ágeret, quid curæ sibi haberet*, certiozem fáceret Átticum. Hoc quale sit, faciùs existimabit is, qui judicare póterit, quantæ sit sapiéntiæ, eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos maximarum rerum non solùm æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit incidere necesse inter Cæsarem, atque Antónium; quum se uterque principem non solùm urbis Romanæ, sed orbis terrarum esse cúperet.

THEMA XLIII.

4. Llega Atico á la ancianidad con buena salud y aumento de fortuna. Cae en una enfermedad: curso de esta.

Tali modo quum septem et septuaginta annos complèsset, atque ad extremam senectutem non minùs dignitate, quàm grátiâ fortunæque crevisset (multas enim hereditates nulla ália re quàm bonitate est consecutus), tantaque prosperitate usus esset valetúdinis, ut annos triginta medicinâ non indiguisset: nactus est morbum, quem initio et ipse et médici contempserunt:

nam putarunt esse tenesmon, cui remedia celera faciliaque proponebantur. In hoc quum tres menses sine ullis doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset, subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit.

2. Crece su mal: agrávasse la calentura: última resolucion y disposiciones de Atico.

Atque hoc prius quam ei accideret, postquam in dies dolores accrescere, febremque accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessi jussit et cum eo L. Cornélium Balbum, Sextumque Peducæum. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus: *quantam, inquit, curam, diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, quum vos testes habeam, nihil opus est pluribus verbis commemorare. Quibus quoniam, ut spero satisfeci, nihilque reliqui feci, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat, alere morbum desinere. Namque his diebus quidquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. Quare à vobis peto primum, ut consilium probetis meum; deinde, ne frustra dehortando conemini.*

THEMA XLIV.

1. Obstínase Atico en llevar adelante su resolucion, desatendiendo los ruegos y lágrimas de su yerno. Su muerte y funeral.

Hac oratione hábita, tantá constántiâ vocis atque

vultus, ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare; quum quidem Agrippa eum flens, atque osculans oraret atque obsecraret, *ne ad id quod Natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret; et quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi suisque reservaret*; preces ejus taciturnâ suâ obstinatione compressit. Sic quum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit, leviorque morbus esse coepit. Tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto, postquam id consilium inierat, pridie Calendas Aprilis, Cn. Domitio, C. Sósio Coss. decessit. Elatus est in lecticula, ut ipse praescripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, máxima vulgi frequentia. Sepultus est juxta viam Appiam, ad quintum lapidem, in monumento Q. Cæciliî avunculi sui.

LIBRO PRIMERO.

DE LOS COMENTARIOS DE LA GUERRA CIVIL

ESCRITOS POR C. JULIO CESAR.

THEMA XLV.

4. César envía una carta á los cónsules, de la cual no se da cuenta en el Senado. Léntulo y Escipion le ofrecen condicionalmente su apoyo, con expresiones emanadas, al parecer, de boca de Pompeyo.

Literis à Fabio C. Cæsaris consúlibus rédditis, ægrè ab iis impetratum est, summa tribunorum plebis contentione, ut in senatu recitarentur. Ut verò ex literis ad senatum referretur, impetrari non potuit. Réferunt cónsules de república in civitate. L. Léntulus consul senatui, reique públicæ se non defuturum pollicetur, si audacter, ac fórtiter senténtias dicere velint: sin Cæsarem respiciant, atque ejus gratiam sequantur, ut superióribus fécerint tempóribus, se sibi consílium capturum, neque senatús auctoritati obtemperaturum: habere se quoque ad Cæsaris gratiam, atque amicitiam receptum. In eamdem sententiam lóquitur Scipio, Pompejo esse in ánimo, reipúblicæ non deesse, si senatus sequatur: sin cunctetur, atque agat leniùs, ne-

quidquam ejus auxilium, si postea vellet, imploraturum. Hæc Scipionis oratio, quod senatus in urbe habebatur, Pompejusque áderat, ex ipsius ore Pompeji miti videbatur.

THEMA XLVI.

4. Algunos senadores emiten su opinion con más benignidad; pero al fin prevalece el dictámen de Escipion.

Dixerat áliquis leniorem sententiam, ut primò M. Marcellus ingressus in eam orationem, non oportere antè de república ad senatum referri, quàm delectus totà Italià habiti, et exércitus conscripti essent: quo præsidio tutò, et liberè senatus, quæ vellet, decernere auderet: ut M. Calidius, qui censebat, ut Pompejus in suas provincias proficisceretur, ne qua esset armorum causa: timere Cæsarem, abreptis ab eo duabus legiónibus, ne ad ejus periculum reservare, et obtinere eas ad urbem Pompejus videretur: ut M. Rufus, qui sententiam Calidii, paucis ferè mutatis verbis, sequebatur. Ii omnes convicio L. Léntuli cónsulis correpti exagitabantur. Léntulus sententiam Calidii, pronuntiatum se omninò negavit. Marcellus pertérritus conviciis à sua sententia discessit. Sic vóciбус cónsulis, terrore præsentis exércitus, minis amicorum Pompeji plerique compulsi, inviti, et coacti Scipionis sententiam sequuntur. «Uti ante certam diem Cæsar exercitum dimittat: si non faciat, eum adversus rempúblicam facturum videri.» Intercedunt M. Antonius, Q. Cassius, tribuni plebis. Refertur confestim de intercessione tribunorum: dicuntur sententiæ graves: ut

quisque acerbissimè, crudelissimèque dixit, ita quàm máximè ab inimicis Cæsaris collaudatur.

THEMA XLVII.

1. Convoca Curion los tribunos del pueblo, para mantener los fueros: reúnen en el senado los enemigos del César.

Misso ad vésperum senatu, omnes, qui sunt ejus ordinis, à Pompejo evocantur. Laudat promptos, atque in pósterum confirmat, segniores castigat, atque incitat. Multi úndique ex vetéribus Pompeji exercitibus, spe præmiorum, atque ordinum evocantur; multi ex duabus legiónibus, quæ sunt tráditæ à Cæsare, arcesuntur. Completur urbs. Ad jus comitiorum tribunos plebis C. Curio évocat. Omnes amici cónsulum, necessarij Pompeji, atque eorum, qui vétères inimicitias cum Cæsare gerebant, coguntur in senatum, quorum vóci bus, et concursu terrentur infirmiores, dubij confirmantur; plerisque verò liberè potestas decernendi eripitur. Pollicetur L. Piso censor, sese iturum ad Cæsarem, item L. Roscius prætor, qui de his rebus eum doceant. Sex dies ad eam rem conficiendam spatij póstulant. Dicuntur etiam à nonnullis sententiæ, ut legati ad Cæsarem mittantur, qui voluntatem senatûs ei proponant.

2. Variedad de opiniones: resistencia de Escipion, Caton y otros: motivos presuntos de estas divergencias.

Omñibus his resistitur; omñibusque oratio Cónsulis, Scipionis, Catonis, opponitur. Catonem vétères inimicitia Cæsaris incitant, et dolor repulsæ. Léntulus æris

alieni magnitudine, et spe exercitus, ac provinciarum, et regum appellandorum largitionibus movetur: seque alterum fore Syllam inter suos gloriatur, ad quem summa imperii redeat. Scipionem eadem spes provinciae, atque exercituum impellit, quos se pro necessitudine partituro cum Pompejo arbitratur: simul judiciorum metus, adulatio, atque ostentatio sui et potentium, qui in republica, judiciisque tum plurimum pollebant. Ipse Pompejus ab inimicis Caesaris incitatus, et quod neminem dignitate secum exaequari volebat, totum se ab ejus amicitia averterat, et cum communibus inimicis in gratiam redierat, quorum ipse maximam partem illo affinitatis tempore adjunxerat Caesari. Simul infamia duarum legionum permotus, quas abstinere Asiae, Syriaeque ad suam potentiam, dominatumque converterat, rem ad arma deduci studebat.

THEMA XLVIII.

1. En medio de estos debates y convulsiones políticas se confía á los cónsules el supremo mando de atender á la conservación de la república.

His de causis aguntur omnia raptim, atque turbatè; neque docendi Caesaris propinquis ejus spatium datur, nec tribunis plebis sui periculi deprecandi, neque etiam extremi juris intercessione retinendi, quod L. Sylla reliquerat, facultas tribuitur; sed de sua salute die septima cogitare coguntur; quòd illi turbulentissimi superioribus temporibus tribuni plebis octavo denique mensuarum actionum respicere, ac timere consueverant. Decurritur ad illud extremum, atque ultimum

senatus consultum, quò, nisi pene in ipso urbis incendio atque desperatione ómnium salutis, latorum audacià, nunquam ante discessum est: «Dent óperam cónsules, prætore, tribuni plebis, quique pro cónsúlibus sunt ad urbem, ne quid resp. detrimenti cápiat.» Hæc senatus consulta præscribuntur ad séptimum Id. Januarii. Itaque quinque primis diebus, quibus haberi senatus potuit, qua ex die consulatum iniit Léntulus, biduo excepto comitali, et de imperio Cæsaris, et de amplissimis viris tribunis plebis gravissimè, acerbissimèque decérnitur. Profugiunt statim ex urbe tribuni plebis, seseque ad Cæsarem cónferunt. Is eo témpore erat Ravennæ, exspectabatque suis lenissimis postulatis responsa, si qua hóminum æquitate res ad otium deduci posset.

THEMA XLIX.

1. Reünese el Senado fuera de Roma.—A'ocúcion de Pompeyo.—Tománse varias disposiciones.

Próximis diebus habetúr senatus extra urbem. Pompejus éadem illa, quæ per Scipionem osténderat, agit; senatús virtutem constantiamque collaudat: copias suas exponit; legiones habere sese paratas decem. Prætérea cógnum, compertumque sibi, alieno esse ánimo in Cæsarem milites, neque iis posse persuaderi, ut eum defendant, aut sequantur. De réliquis rebus ad senatum refertur; totà ut Italià delectus habeantur; Faustus Sylla pro prætore in Mauritaniam mittatur; pecunia ut ex ærario Pompejo detur. Refertur etiam de rege Juba, ut socius sit atque amicus. Marcellus

verò passurum se in præsentia negat. De Fausto impedit Philippus tribunus plebis. De reliquis rebus senatus consulta perscribuntur. Provinciæ privatis decernuntur; duæ consulares, reliquæ prætoriae. Scipioni obvenit Syria: L. Domitio Gallia: Philippus, et Marcus privatus consilio prætereuntur, neque eorum sortes deiciuntur. In reliquas provincias prætores mittuntur, neque spectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum referatur; paludatique, votis nuncupatis, exeunt. Consules, quod ante id tempus acciderat nunquam, ex urbe proficiscuntur; lictoresque habent in urbe, et Capitolio privati, contra omnia vetustatis exempla. Totâ Italiâ delectus habentur, arma imperantur, pecuniæ à municipiis exiguntur, et è fanis tolluntur: omnia divina, et humana jura permiscuntur.

2. César arenga á sus tropas, exponiendo sus quejas y las injurias recibidas.

Quibus rebus cõgnitis, Cæsar apud milites concionatur, «omnium tẽporum injurias inimicorum in se commẽmorat, à quibus diductum et depravatum Pompejum quẽritur, invidiã atque obtreptione laudis suæ, cujus ipse honori, et dignitati semper fãverit, adjutorque fũerit. Novum in repũblica introductum exemplum quẽritur, ut tribunitia intercessio armis notaretur, atque opprimeretur, quæ superioribus annis esset restituta. Syllam, nudatã omnibus rebus tribunitia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse. Pompejum, qui amissa restituisse videatur, bona etiam, quæ ante habũerat, ademisse: quotiescumque

sit decretum: *DARENT MAGISTRATUS OPERAM, NE QUID RESP. DETRIMENTI CAPERET*, (qua voce, et quo senatusconsulto pópulus Romanus ad arma sit vocatus) factum in perniciosis legibus, in vi tribunitia, in secessione pópuli, templis, locisque editioribus occupatis; (atque hæc superioris ætatis exempla expiata Saturnini, atque Gracchorum cásibus docet) quarum rerum illo témpore nihil factum, ne cogitatum quidem; nulla lex promulgata; non cum populo agi cœptum; nulla secessio facta. Hortatur, cujus imperatoris ductu novem annis rempúblicam felicissimè gesserint, plúrimaque prælia secunda fécerint, omnem Galliam, Germaniamque pacáverint, ut ejus existimationem, dignitatemque ab inimicis defendant.» Conclamant legionis tertiadecimæ, quæ áderat, milites, (hanc enim initio tumultus evocáverat, réliquæ nondum convénérant) sese paratos esse imperatoris sui, tribunorumque plebis injurias defendere.

THEMA L.

4. Con esta legión se dirige á Rimini: aquí se le presentan L. César, y Roscio pretor con objeto de sincerar á Pompeyo.

Cógnita militum voluntate, Ariminum cum eà legione proficiscitur, ibique tribunos plebis, qui ad eum confúgerant, cónvenit: réliquas legiones ex hibernis évocat, et súbsequi jubet. Eò L. Cæsar adolescens venit, cujus pater Cæsaris erat legatus. Is, réliquo sermone confecto, cujus rei causa vénerat, habere se á Pompejo ad eum privati officii mandata demonstrat: «velle Pompejum se Cæsari purgatum: ne ea, quæ

reipublicæ causâ égerit, in suam contumeliam vertat; semper se reipublicæ cõmoda privatis necessitatibus habuisse potiora; Cæsarem quoque pro sua dignitate debere et studium, et iracundiam suam reipublicæ dimittere, neque adeo graviter irasci inimicis, ne quum illis nocere se speret, reipublicæ noceat.» Pauca ejusdem géneris addit, cum excusatione Pompeji conjuncta. Eadem fere, atque iisdem diebus prætor Roscius agit cum Cæsare, sibi que Pompejum commemorasse demonstrat.

2. César, oído su razonamiento, les encarga que expongan igualmente sus pretensiones delante de Pompeyo.

Quæ res etsi nihil ad levandas injurias pertinere videbantur; tamen idóneos nactus hómines, per quos, ea quæ vellet, ad eum perferrentur, petit ab utroque, quoniam Pompeji mandata ad se detúlerint, ne graven-
tur sua quoque ad eum postulata deferre, si parvo labore magnas controversias tóllere, atque omnem Itali-
am metu liberare possent: «Sibi semper reipublicæ primam fuisse dignitatem, vitæque potio-
rem; doluisse se, quòd pópuli Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur, creptoque semestri império, in urbem retraheretur; cujus absentis rationem habere próximis comitiis pópulus jussisset: tamen hanc honoris jacturam sui reipublicæ causâ æquo ánimo tulisse: quum literas ad senatum miserit, ut omnes ab exercitibus discéderent, ne id quidem impe-
travisse: totâ Italiâ delectus haberi, retineri legiones duas, quæ ab se simulatione Párthici belli sint abductæ: civitatem esse in armis. Quonam hæc omnia, nisi

ad suam perniciem pertinere? Sed tamen ad omnia se descendere paratum, atque omnia pati reipublicæ causâ. Proficiscatur Pompejus in suas provincias: ipsi exercitus dimittant, discedant in Italia omnes ab armis, metus è civitate tollatur: libera comitia, atque omnis respública senatui, pópuloque Romano permittatur. Hæc quò facilius, certisque conditionibus fiant, et jurejurando sanciantur, aut ipse propiùs accedat, aut se patiatur accédere. Fore, uti per colloquia omnes controversiæ componantur.»

THEMA LI.

1. Estos desempeñan el cometido ante los cónsules y Pompeyo, y vuelven al César con otra comision por escrito.

Acceptis mandatis, Roscius cum L. Cæsare Capuam pervenit, ibique cónsules, Pompejumque invenit. Postulata Cæsaris renuntiat. Illi re deliberata respondent, scriptaque ad eum mandata per eos remittunt, quorum hæc erat summa: «Cæsar in Galliam reverteretur, Arimino excéderet, exercitus dimitteret. Quæ si fecisset, Pompejum in Hispanias iturum. Intérea, quoad fides esset data, Cæsarem facturum, quæ polliceretur, non intermissuros cónsules, Pompejumque delectus.» Erat iniqua conditio postulare, ut «Cæsar Arimino excederet, atque in provinciam reverteretur; ipsum et provincias, et legiones alienas tenere: exercitum Cæsaris velle dimitti; delectus habere: polliceri, se in provinciam iturum, neque ante quem diem iturus sit, definire: ut, si peracto Cæsaris consulatu, Pompejus profectus non esset, nulla tamen mendacii religione

obstrictus videretur. Tempus verò colloquio non dare, neque accessurum polliceri, magnam pacis desperatorem afferebat.

2. César envia á M. Antonio con cinco cohortes á Arezo, y despues á Curion con tres contra Ugubio, de cuya ciudad se apodera con la fuga de Termo pretor.

Itaque ab Arimino M. Antonium cum cohórtibus quinque Aretium mittit; ipse Arimini cum duabus legionibus subsistit, ibique delectum habere instituit. Pisaurum Fanum, Anconam singulis cohórtibus occupat. Intérea certior factus, Igubium Thermum prætorum cohórtibus quinque tenere, oppidum munire, omniumque esse Iguvinorum optimam erga se voluntatem, Curionem cum tribus cohórtibus, quas Pisauri et Arimini habebat, mittit. Cujus adventu cógnito, diffusus municipii voluntati Thermus cohortes ex urbe educit, et prófugit; milites in itinere ab eó discedunt, ac domum revertuntur. Curio, omnium summa voluntate, Igubium récipit. Quibus rebus cógnitis, confisus municipiorum voluntátibus Cæsar, cohortes legionis tertiædecimæ ex præsidiis deducit, Auximumque proficiscitur; quod oppidum Actius cohórtibus introductis tenebat, delectumque toto Piceno, circummissis senatoribus, habebat.

THEMA LII.

4. César se dirige contra Oximo.—Choque de sus soldados con Varo, el cual, abandonado de los suyos, se salva huyendo.

Adventu Cæsaris cógnito, decuriones Auximi ad Actium Varum frequentes convéniunt: docent «sui judi-

cii rem non esse; neque se, neque reliquos municipales pati posse, C. Cæsarem imperatorem benè de republica meritum, tantis rebus gestis, oppido mœnibusque prohiberi: proinde habeat rationem posteritatis, et periculi sui.» Quorum oratione permotus Actius Varus, præsidium, quod introduxerat, ex oppido educit, et profugit. Hunc ex primo ordine pauci Cæsaris consecuti milites, consistere cogunt, commissoque prælio deseritur à suis Varus; nonnulla pars militum domum discedit: reliqui ad Cæsarem perveniunt: atque unà cum iis deprehensus L. Pupius primipili centurio adducitur, qui hunc eundem ordinem in exercitu Cn. Pompeji antea duxerat. At Cæsar milites Actianos collaudat; Pupium dimittit, Auximátibus agit gratias, seque eorum facti memorem fore pollicetur.

2. Roma se llena de terror al oír la noticia de la venida de César. Marcelo huye, y Pompeyo va en busca de sus legiones.

Quibus rebus Romam nuntiatis, tantus repente terror invasit, ut, quum Léntulus consul ad aperiendum ærarium venisset, ad pecúniam Pompejo ex senatus-consulto proferendam, prótinus, aperto sanctiore ærario, ex urbe profugeret. Cæsar enim adventare, jam jamque adesse ejus équites falsò nuntiabantur. Hunc Marcellus collega, et plerique magistratus consecuti sunt. Cn. Pompejus pridie ejus diei ex urbe profectus iter ad legiones habebat, quas à Cæsare acceptas in Apulia hièrnorum causà disposuerat. Delectus intra urbem intermittuntur. Nihil citra Capuam tutum esse omnibus videtur. Capuæ primùm sese

confirmant et colligunt, delectumque colonorum, qui lege Julia Capuam deducti erant, habere instituunt; gladiatoresque, quos ibi Cæsar in ludo habebat, in forum productos, Léntulus libertate confirmat, atque iis equos attribuit, et se sequi jussit: quos póstea mónitus à suis, quòd ea res omnium judicio reprehendebatur, circum familias conventus Campaniæ, custodiæ causà distribuit.

THEMA LIII.

4. César recorre la marca de Ancona. Acogida que tuvo en esta provincia: auxilios que le prestaron.

Auximo Cæsar progressus, omnem agrum Picenum percurrit. Cunctæ earum regionum præfecturæ libentissimis ánimis eum recipiunt; exercitumque ejus ómnibus rebus juvant. Etiam Cingulo, quod óppidum Labienus constitúerat, suaque pecunià ædificáverat, ad eum legati veniunt, quæque imperârit, sese cupidissime facturos pollicentur. Milites imperat; mittunt. Intérea legio duodécima Cæsarem conséquitur; cum his duabus Asculum Picenum proficiscitur. Id óppidum Léntulus Spinther decem cohórtibus tenebat: qui Cæsaris adventu cógnito, prófugit ex óppido, cohortesque secum abdúcere conatus, à magna parte militum deséritur. Relictus in itinere cum paucis, incidit, in Vibullium Rufum, missum à Pompejo in agrum Picenum, confirmandorum hóminum causà. A quo factus Vibullius certior, quæ res in Piceno gererentur, milites ab eo áccipit, ipsum dimittit. Item ex finitimis regiónibus, quas potest, cóntrahit cohortes ex delécti-

bus Pompejanis. In iis Camerino fugientem Ulcilem Hirrum, cum sex cohórtibus, quas ibi præsidio habuerat, excipit, quibus coactis, trédecim éfficit. Cum iis ad Domitium Ahenobarbum Corfinium magnis itinéribus pèrvenit, Cæsaremque adesse cum legiónibus duabus nuntiat. Domitius per se circiter viginti cohortes ex Alba, ex Marsis, ex Pelignis, et finítimis ab regiónibus coëgerat.

2. Despues de la toma de Asculo marcha hácia Corfinio: pasa el puente, que pretendieron cortar las tropas de Domitio, y planta sus reales junto á los muros de la ciudad.

Recepto Asculo, expulsoque Léntulo, Cæsar conquirit milites, qui ab eo discésserant, delectumque institui jubet. Ipse unum diem ibi rei frumentariæ causâ moratus, Corfinium contendit. Eò quum venisset, cohortes quinque præmissæ à Domitio ex oppido pontem flúminis interrompebant, qui erat ab oppido millia passuum circiter tria. Ibi cum antecursoribus Cæsaris prælio commisso, celeriter Domitiani à ponte repulsi, se in oppidum receperunt. Cæsar legiónibus transductis, ad oppidum cónstitit, iuxtaque murum castra posuit. Re cógnita, Domitius ad Pompejum in Apuliam peritos regionum, magno propósito præmio, cum literis mittit, qui petant, atque orent, ut sibi subveniat: «Cæsarem duobus exercítibus, et locorum angustiis facîle intercludi posse, frumentoque prohiberi. Quod nisi fécerit, se cohortesque amplius triginta magnumque númerum senatorum atque équitum Romanorum in periculum esse venturum.» Interim suos cohortatus, tormenta in muris disponit, certasque cuique partes

ad custodiam urbis attribuit; militibus in concione agros ex suis possessionibus pollicetur, quaterna in singulos júgera, et pro rata parte centuriónibus, evocatisque.

THEMA LIV.

1. Envía César á M. Antonio de comision á Sulmona. Recibimiento que le hacen los Sulmonenses. Fuerzas que reúne.

Interim Cæsari nuntiatur, Sulmonenses (quod oppidum à Corfinio septem millium intervallo abest) cûpere ea fácere, quæ vellet, sed à Q. Lucretio senatore et Actio Peligno prohiberi, qui id oppidum septem cohórtium præsidio tenebat. Mittit eo M. Antonium cum legionis tertiadécimæ cohortibus quinque. Sulmonenses, simul atque nostra signa viderunt, portas aperuerunt, universique et oppidani, et milites óbviâ gratulantes Antonio exierunt: Lucretius, et Actius de muro se dejecerunt. Actius ad Antonium deductus petit, ut ad Cæsarem mitteretur. Antonius cum cohórtibus, et Actio eodem die, quo profectus erat, revértitur. Cæsáreas cohortes cum exércitu suo conjunxit, Actiumque incólumem dimisit. Cæsar tribus primis diebus castra magnis opéribus muniri, et ex finitimis municipiis frumentum comportare, réliquasque copias exspectare instituit. Eo triduo legio octava ad eum venit, cohortesque ex novis Galliæ deléctibus vigintiduo, équitesque à rege Nórico circiter tercenti, quorum adventu áltera castra ad álteram oppidi partem ponit. Iis castris Curionem præfecit. Réliquis diebus oppidum vallo, castellisque circummuniri instituit, cujus óperis

máxima parte effecta, eodem fere témpore missi ad Pompejum revertuntur.

2. Pompeyo escribe una carta á Domicio : éste trata de fugar-se ocultamente; pretende animar antes á los suyos; más no pudo ocultar sus designios.

Literis perlectis, Domitius dissimulans in consilio pronuntiat, Pompejum celeritèr subsidio venturum; hortaturque eos, ne ánimo deficiant, quæque usui ad defendendum oppidum sint, parent. Ipse arcanò cum paucis familiáribus suis collóquitur, consiliumque fugæ cápere constituit. Quum vultus Domitii cum oratione non consentiret, atque ómnia trepidantiùs, timidiùsque ágeret, quàm superióribus diebus consuèset, multumque cum suis consiliandi causà secretò præter consuetudinem colloqueretur, concilia conventusque hóminum fugeret, res diutiùs tegi, dissimularique non potuit. Pompejus enim rescripserat, «sese rem in summum periculum deducturum non esse, neque suo consilio, aut voluntate Domitium se in oppidum Corfinium contulisse. Proinde, siqua facultas fuisset, ad se cum ómnibus copiis veniret.» Id ne fieri posset, obsidione, atque oppidi circummunitione fiebat.

THEMA LV.

4. Amotinanse los soldados en Corfinio : sacan al público á Domicio, le custodian, y envían embajadores al César, ofreciéndole abrir las puertas de la ciudad.

Divulgato Domitii consilio, milites, qui erant Corfinii, primà véspera secessionem faciunt, atque ita

inter se per tribunos militum, centurionesque, atque honestissimos sui géneris colloquuntur: «obsideri se à Cæsare; ópera, munitionesque propè esse perfectas; ducem suum Domitium, cujus spe, atque fidúcia permánserint, projectis ómnibus, fugæ consilium cápere: debere se suæ salutis rationem habere.» Ab his primò Marsi dissentire incipiunt, eamque óppidi partem, quæ munitissima videretur, óccupant; tantaque inter eos dissensio éxstitit, ut manum consérere, atque armis dimicare conarentur. Post paulò tamen, internuntiis ultrò citròque missis, quæ ignorabant, de L. Domitii fuga cognoscunt. Ítaque omnes uno consilio Domitium productum in públicum circumsistunt, et custodiunt, legatosque ex suo número ad Cæsarem mittunt: sese paratos esse portas aperire, quæque imperáverit, fácere, et L. Domitium vivum in ejus potestatem trádere.

2. César alaba la voluntad de los comisionados; los despi-
de, y toma varias disposiciones para no malograr su empresa.

Quibus rebus cógnitis, Cæsar, etsi magni interesse arbitrabatur, quamprimùm óppido potiri, cohortesque ad se in castra transducere, ne qua aut largitió nibus, aut ánimi confirmatione, aut falsis nuntiis commutatio fieret voluntatis, quòd sæpè in bello parvis momentis magni casus intercéderent; tamen véritus, ne militum intróitu, et nocturni témporis licentiá óppidum diriperetur, eos, qui vénerant, collaudat, atque in óppidum dimittit: portas, murosque asservari jubet. Ipse iis opéribus, quæ fácere institúerat, milites dí-

sponit, non certis spatiis intermissis, ut erat superiorum dierum consuetudo, sed perpétuis vigiliis, stationibusque, ut contingant inter se, atque omnem munitionem épleant: tribunos militum, et præfectos circummittit, atque hortatur, non solum ab eruptionibus caveant, sed etiam singulorum hominum occultos exitus asservent. Neque verò tam remisso, ac languido animo quisquam omnium fuit, qui ea nocte conquieverit. Tanta erat summa rerum expectatio, ut alius in aliam partem mente, atque animo traheretur, quid ipsis Corfiniensibus, quid Domitio, quid Léntulo, quid reliquis accideret, qui quosque eventus exciperet.

THEMA LVI.

1. Dado á Léntulo Espinter permiso para salir de la ciudad, celebra una conferencia con César, y vuelve á los suyos.

Quartâ vigiliâ circitèr Léntulus Spinter de muro cum vigiliis, custódibusque nostris collóquitur, velle, si sibi fiat potestas, Cæsarem convenire. Facta potestate, ex oppido mittitur, neque ab eo prius Domitiani milites discedunt, quàm in conspectum Cæsaris deducatur. «Cum eo de salute sua agit, orat, atque óbscrat, sibi ut parcat, vèteremque amicitiam commémorat, Cæsarisque in se beneficia exponit, quæ erant máxima; quòd per eum in collegium pontificum vènerat; quòd provinciam Hispaniam ex prætura habuerat; quòd in petitione consulatus ab eo erat sublevatus. Cujus orationem Cæsar interpellat, «se non maleficiî causâ ex provincia egressum, sed uti se à contumeliis inimicorum defènderet: ut tribunos plebis

ea re ex civitate expulsos, in suam dignitatem restitueret; ut se, et pópulum Romanum, paucorum factione oppressum, in libertatem vindicaret.» Cujus oratione confirmatus Léntulus, ut in oppidum reverti liceat, petit: quod de sua salute impetráverit, fore etiam réliquis ad suam spem solatio. Adeo esse pertérritos nonnullos, ut suæ vitæ durius consúlere cogantur. Facta potestate, discedit.

THEMA LVII.

1. Manda Cêsar comparecer ante sí á los senadores, tribunos y caballeros Romanos: les habla algunas cosas: hace devolver á Domicio el dinero del público, y se dirige á la Pulla.

Cæsar, ubi illuxit, omnes senatores, senatorumque liberos, tribunos militum, equitesque Romanos ad se produci jubet. Erant senatorii órdinis L. Domitius, et P. Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus, Sext. Quintilius Varus quæstor, L. Rubrius; prætêrea filius Domitii, alique complures adolescentes, et magnus númerus équitum Romanorum, et Decurionum, quos ex municipiis Domitius evocáverat. Hos omnes productos à contumeliis militum, conviciisque próhibet: pauca apud eos lóquitur, quòd sibi à parte eorum gratia relata non sit pro suis in eos máximis beneficiis; dimittit omnes incólumes. Sextertium sexagies, quod aurum addúxerat Domitius, atque in públicum deposúerat, allatum ad se ab duumviris Corfiniénsibus Domitio reddit, ne continentior in vita hóminum, quàm in pecunia fuisse videatur; etsi eam pecuniam públicam

esse constabat, datamque à Pompejo in stipendium. Milites Domitianos sacramentum apud se dicere jubet: atque eo die castra movet, justumque iter cónficit. Septem omninò dies ad Corfinium commoratus, et per fines Marrucinorum, Frentanorum, Larinatum in Apuliam pervenit.

2. Pompeyo se dirige por Canosa á Brindis; reúne las tropas que puede, armando hasta los esclavos y pastores. Algunos soldados se pasan al César, el cual hace volver á Cn. Magio con una carta para aquel.

Pompejus, iis rebus cóngruè, quæ erant ad Corfinium gestæ, Lucerià proficiscitur Canusium, atque inde Brundisium. Copias úndique omnes ex novis deléctibus ad se cogi jubet. Servos, pastores armat; atque his equos attribuit. Ex iis circiter tercentos équites cónficit. L. Manlius prætor Albà cum cohortibus sex profugit: Rutilius Lupus prætor Tarracinà cum tribus, quæ procul equitatum Cæsaris conspiciatæ, cui præerat Vivius Curius, relicto prætore, signa ad Curium trãsferunt, atque ad eum trãseunt. Item réliquis itinéribus nonnullæ cohortes in agmen Cæsaris, aliæ in équites incidunt. Redúcitur ad eum deprehensus ex itinere Cn. Magius Crémone præfectus fabrùm Cn. Pompeji, quem Cæsar ad eum remittit cum mandatis; «quoniam ad id tempus facultas colloquendi non fúerit, atque ad se Brundisium sit venturus, interesse reipublicæ, et communis salutis se cum Pompejo còloqui: neque verò idem prófici longo itineris spatio, quum per alios conditiones ferantur, ac si coràm de omnibus conditionibus disceptetur.»

THEMA LVIII.

1. Parte César para Brindis, donde estaba Pompeyo: obras que hace para cortar la comunicacion del puente.

His datis mandatis, Brundisium cum legionibus sex pervenit, veteranis tribus, réliquis, quas ex novo delectu confecerat, atque in itinere compléverat. Domitianas enim cohortes protinùs à Corfinio in Siciliam miserat. Reperit consules Dyrrhachium profectos cum magna parte exércitus, Pompejum remanere Brundusii cum cohortibus viginti. Neque certum inveniri póterat, obtinendine causà Brundusii ibi remansisset, quò faciliùs omne Adriaticum mare, extremis Italiæ pártibus, regionibusque Græciæ in potestatem haberet, atque ex utraque parte bellum administrare posset; an inopià navium ibi restitisset: veritusque, ne Italiam ille dimittendam non existimaret, éxitus, administrationesque Brundisini portùs impedire instituit: quorum óperum hæc erat ratio. Quà fauces erant angustissimæ portùs, molem atque ággerem ab utraque parte litoris jaciebat, quòd his locis erat mare vadosum. Longiùs progressus, quum agger altiore aqua contineri non posset, rates dúplices quoquoersus pedum triginta è regione molis collocabat. Has quaternis áncoribus ex quatuor ángulis distinebat, ne flúctibus moverentur. His perfectis, collocatisque, alias deinceps pari magnitúdine rates jungebat. Has terrà atque ággere contegebat, ne áditus atque incursus ad defendendum impediretur: à fronte, atque ab utroque látere cráti-bus ac plúteis protegebat. In quarta quaque earum

turres binorum tabulatorum excitabat, quò commodiùs ab impetu navium incendiisque defènderet.

2. Pompeyo hace tambien sus preparativos; y todos los dias tienen algun encuentro. César pretende inútilmente inclinarle á la paz, y se dispone para continuar la guerra.

Contra hæc Pompejus naves magnas onerarias, quas in portu Brundisino deprehènderat, adornabat. Ibi turres cum ternis tabulatis erigebat, easque multis tormentis, et omni gènere telorum completas, ad ópera Cæsaris appellebat, ut rates perrúperet, atque ópera disturbaret. Sic quotidie utrinquè éminus fundis, sagittis, réliquisque telis pugnabatur. Atque hæc ita Cæsar administrabat, ut conditiones pacis dimittendas non existimaret, ac tametsi magnópere admirabatur, Magium, quem ad Pompejum cum mandatis miserat, ad se non remitti; atque ea res sæpè tentata etsi impetus ejus, consiliaque tardabat, tamen ómnibus rebus in eo perseverandum putabat. Itaque Caninium Rebilum legatum, familiarem, necessariumque Scribonii Libonis, mittit ad eum colloqui causâ; mandat, ut Libonem de concilianda pace hortetur: in primis, ut ipse cum Pompejo colloqueretur, póstulat. Magnópere sese confidere demonstrat, si ejus rei sit potestas facta, fore, ut æquis condiçãoibus ab armis discedatur: ejus rei magnam partem laudis, atque existimationis ad Libonem perventuram, si illo auctore atque agente, ab armis sit discessum. Libo ad Pompejum proficiscitur. Paulò post renuntiat, «quòd cónsules absint, sine illis de compositione agi non posset.» Ita sæpius

rem frustrà tentatam Cæsar aliquando dimittendam sibi judicabat, et de bello agendum.

THEMA LIX.

1. Al llegar las naves de los consules, Pompeyo se dispone para marchar, dejando ostruidas las puertas, cortadas las calles y plazuelas.

Propè dimidia parte óperis à Cæsare effecta, diebusque in ea re consumptis novem, naves à consúlibus Dyrrhachio remissæ, quæ priorem partem exércitus eò deportáverant, Brundusium revertuntur. Pompejus sive opéribus Cæsaris permotus, sive etiam quòd ab initio Italià excédere constituerat, adventu navium profectionem parare incipit: et, quò facilius ímpetum Cæsaris tardaret, ne sub ipsa profectione milites ópidum irrúperent, portas óbstruit, vicos plateasque inædificat, fossas transversas viis præducit, atque ibi sudes, stipitesque præacutos défigit. Hæc lévibus crátibus terràque inæquat. Aditus autem atque itinera duo, quæ extra murum ad portum ferebant, máximis defixis trábibus, atque eis præacutis, præsepit. His paratis rebus, milites silentio naves conscéndere jubet; expeditos autem ex evocatis sagittariis funditoribusque, raros in muro túrribusque disponit. Hos certo signo revocare constituit, quum omnes milites naves conscendissent; atque iis expedito loco actuaria navigia relinquit. Brundusini Pompejanorum militum injuriis, atque ipsius Pompeji contumeliis permoti, Cæsaris rebus favebant. Itaque, cógnita Pompeji profectione, concursántibus illis, atque in ea re occupatis, vulgò

ex tectis significabant: per quos re cógnita, Cæsar scalas parari, militesque armari jubet, ne quam rei gerendæ facultatem dimittat. Pompejus sub noctem naves solvit.

2. Los soldados de César escalan la muralla, y, advertidos por los Brundusinos, salvando las zanjas y estacadas ocultas, llegan al puerto, y apresan dos naves.

Qui erant in muro custodiæ causâ collocati, eo signo, quod convenerat, revocantur; notisque itinéribus ad naves decurrunt. Milites, pósitis scalis, muros ascendunt. Sed móniti à Brundusinis, ut vallum cæcum fossasque cæveant, subsistunt, et longo itinere ab iis circumducti ad portum perveniunt; duasque naves cum militibus, quæ ad moles Cæsaris adhæserant, scaphis lintribusque deprehendunt, deprehensas excipiunt. Cæsar etsi ad spem cōficiendi negotii máximè probabat coactis návibus mare transire, et Pompejum sequi, priùs quàm ille sese transmarinis auxiliis confirmaret, tamen rei ejus moram témporisque longinquitatem timebat, quòd, ómnibus coactis návibus, Pompejus præsentem facultatem insequendi sui ademerat. Relinquebatur, ut ex longinquióribus regiónibus Galliæ Picenique, et à freto naves essent expectandæ. Sed id propter anni tempus longum atque impeditum videbatur. Intérea véterem exércitum, duas Hispanias confirmari, quarum áltera erat máximis beneficiis Pompeji devincta; auxilia, equitatum parari, Galliam Italiamque tentari, se absente, nolebat. Itaque in præsentia Pompeji inse-quendi rationem omittit: in Hispaniam proficisci constituit: duumviris municipiorum omnium imperat, ut

naves conquirant, Brundisiumque deducendas current.

THEMA LX.

4. César envia á Valerio de Lugarteniente á Cerdeña, y á Curion de Propretor á Sicilia. Cota huye al Africa, y Caton abandona la Sicilia.

Mittit in Sardiniam cum legione una Valerium legatum, in Siciliam Curionem proprætorem cum legionibus tribus, eundem, quum Siciliam recepisset, proutinus in Africam transducere exercitum jubet. Sardiniam obtinebat M. Cota, Siciliam M. Cato: Africam sorte Túbere obtinere debebat. Caralitani, simul ad se Valerium mitti audiérunt, nondum profecto ex Italia, sua sponte ex oppido Cotam ejiciunt. Ille pertérritus, quòd omnem provinciam consentire intelligeret, ex Sardinia in Africam profugit. Cato in Sicilia naves longas véteres reficiebat: novas civitatibus imperabat: hæc magno studio agebat: in Lucanis, Brutiisque per legatos suos civium Romanorum delectus habebat; équitum, peditumque certum número à civitatibus Siciliæ exigebat. Quibus rebus pené perfectis, adventu Curionis cognito, quéritur in concione «sese projectum, ac proditum à Cn. Pompejo, qui, ómnibus rebus imparatissimus, non necessarium bellum suscepisset: et ab se reliquisque in Senatu interrogatus, omnia sibi ad bellum apta ac parata confirmasset.» Hæc in concione questus, ex provincia fugit.

2. Toma Valerio la Cerdeña, y Curion la Sicilia.—Varo reúne en Útica dos legiones, y con ellas impide la entrada á Tuberón.

Nacti vácuas ab imperiis, Sardiniam Valerius, Curio Siciliam, cum exercítibus eò perveniunt. Túbero, quum in Africam venisset, invenit in provincia cum imperio Actium Varum, qui ad Auximum, ut supra demonstrávimus, amissis cohórtibus, prótinus ex fuga in Africam pervénerat; atque eam sua sponte vacuam occupáverat, delectuque hábito duas legiones effécerat, hóminum et locorum notitiá, et usu ejus provinciæ nactus áditus ad ea conanda, quòd paucis ante annis ex prætura eam provinciam, obtinúerat. Hic venientem Uticam cum navibus Tuberónem portu atque oppido próhibet, neque affectum valetudine filium expónere in terra patitur, sed sublatís áncorís excédere eo loco cogit.

THEMA LXI.

1. Llega César á Roma: expone sus quejas ante el Senado, y las injurias que se le habian hecho; y ruega por fin que le den parte en el gobierno del Estado.

His rebus confectis, Cæsar, ut réliquum tempus á labore intermitteretur, milites in próxima municipia deducit. Ipse ad urbem proficiscitur. Coacto Senatu, injúrias inimicorum commémorat: «docet se nullum extraordinarium honorem appetiisse: sed exspectato legítimo témpore consulatús, eo fuisse contentum, quod ómnibus civibus pateret: latum ab decem tribu-

nis plebis, contradicéntibus inimicis, Catone verò acerrimè repugnante, et pristinà consuetúdine dicendi morà dies extrahente, ut sui ratio absentis haberetur, ipso cónsule Pompejo: qui si improbasset, cur ferri passus esset? sin probasset, cur se uti pópuli beneficio prohibuisset? Patientiam proponit suam, quum de exercitibus dimittendis ultrò postulavisset; in quo jacturam dignitatis, atque honoris ipse facturus esset. Acerbitatem inimicorum docet; qui, quod ab altero postulàrant, in se recusarent, atque omnia permisceri mallent, quàm imperium exercitusque dimittere. Injuriam in eripiendis legionibus prædicat: crudelitatem et insolentiam in circumscribendis tribunis plebis, conditiones à se latas, et expetita colloquia, et denegata commémorat.

¶ Pretende hacer la paz con Pompeyo por medio de comisionados; pero como nadie admitiese esta embajada, sale de la ciudad sin lograr su objeto y marcha á la Galia ulterior.

Pro quibus rebus orat ac póstulat, rempúblicam suscipiant, atque unà secum administrent. Sin timore defugiant, illis se óneri non futurum, et per se rempúblicam administraturum. Legatos ad Pompejum de compositione mitti oportere: neque se reformidare, quod in senatu paulò ante Pompejus dixisset, ad quos legati mitterentur, iis auctoritatem attribui; timoremque eorum, qui mitterent, significari: ténuis atque infirmi hæc ánimi videri, se verò, ut opéribus anteire studúerit, sic justitia et æquitate vellesuperare. «Probat rem senatus de mittendis legatis: sed qui mitterentur, non reperiebantur, maximèque ti-

moris causâ pro se quisque id munus legationis recusabat. Pompejus enim discedens ab urbe in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romæ remansissent, et qui in castris Cæsaris fuissent. Sic triduum disputationibus, excusationibusque extrahitur. Subjicitur etiam L. Metellus Tribunus plebis ab inimicis Cæsaris, qui hanc rem distrahat, reliquasque res, quascumque agere instituerat, impediat. Cujus cognito consilio, Cæsar, frustra diebus aliquot consumptis, ne reliquum tempus omittat, infectis iis, quæ agere destinaverat, ab urbe proficiscitur, atque in ulteriorem Galliam pervenit.

THEMA LXII.

1. Envía Pompeyo á Vibulo Rufo á España, y á Domicio á Marsella. Los Marsellese cierran al César las puertas de la ciudad. Comision que este les envía; respuesta de aquellos.

Quò quum venisset, cognoscit missum in Hispaniam Pompejo Vibullium Rufum, quem paucis diebus ante Corfinii captum dimiserat: profectum item Domitium ad occupandam Massiliam nāvibus actuariis septem, quas Igili, et in Cosano à privatis coactas, servis, libertis, colonis suis compléverat; præmisos etiam legatos Massilienses domi nobiles adolescentes, quos ab urbe discedens Pompejus erat adhortatus, ne nova Cæsaris officia veterum suorum beneficiorum in eos memoriam expellerent. Quibus mandatis acceptis, Massilienses portas Cæsari clausèrant: Albicos, barbaros homines, qui in eorum fide antiquitus erant, montesque supra Massiliam incolebant, ad se vocaverant:

frumentum ex finitimis regionibus, atque ex ómnibus castellis in urbem convéxerant: armorum officinas in urbe institúerant: muros, classem, portasque refécerant. Évocat ad se Cæsar Massiliensium quindecim primos: cum his agit, ne initium inferendi belli à Massiliensibus oriatur: «debere eos Italiæ totius auctoritatem sequi potius, quàm unius hóminis voluntati obtemperare. » Réliqua, quæ ad eorum sanandas mentes pertinere arbitrabatur, commémorat. Cujus orationem domum legati réferunt: atque ex auctoritate hæc Cæsari renuntiant: « intelligere se divisum esse pópulum Romanum in partes duas; neque sui judicii, neque suarum esse virium discernere, utra pars justior rem hábeat causam: principes verò esse earum partium Cn. Pompejum, et C. Cæsarem patronos civitatis, quorum alter agros Volcarum, Arecomicorum, et Helviorum públicè iis concesserit: alter bello victas Gállias attribúerit, vectigaliaque aúxerit. Quare paribus eorum beneficiis parem se quoque voluntatem tribuere debere, et neutrum eorum contra alterum juvare, aut urbe aut pórtubus recipere. »

2. Confían estos á Domicio la direccion de la guerra.— Pone César sitio á la ciudad bajo el mando de C. Trebonio, y envía á C. Fabio á España con tres legiones. Resultado de esta expedicion.

Hæc dum inter eos aguntur, Domitius návibus Massiliam pervenit; atque ab iis receptus urbi præficitur. Summa ei belli administrandi permittitur. Ejus imperio classem quoquoersus dimittunt: onerarias naves, quas ubique possunt, deprehendunt, atque in portum

deducunt: earum clavis, aut materia, atque armamentis instructis ad reliquas armandas, reficiendasque utuntur: frumenti quod inventum est, in publicum cónferunt: reliquas merces commeatusque ad obsidionem urbis, si áccidat, reservant. Quibus injuriis permotus Cæsar legiones tres Massiliam adducit: turres vineasque ad oppugnationem urbis agere, naves longas Arelate número duódecim fácere instituit. Quibus effectis armatisque diebus triginta, à qua die materia cæsa est, adductisque Massiliam, his D. Brutum præfecit; C. Trebonium legatum ad oppugnationem Massiliæ relinquit. Dum hæc parat, atque administrat, C. Fabium legatum cum legionibus tribus, quas Narbone, circumque ea loca, hiemandi causà, disposúerat, in Hispaniam præmittit; celeriterque Pyrenæos saltus ocupari jubet, qui eo témpore ab L. Afranio legato præsidiis tenebantur. Legiones réliquis, quæ longius hiemabant, súbsequi jubet. Fabius, ut erat imperatum, adhibita celeritate, præsidium ex saltu dejecit, magnisque itinéribus ad exércitum Afranii contendit.

THEMA LXIII.

4. Afranio, Petreyo y Varron comparten el mando de las tropas, y resuelven de comun acuerdo hacer la guerra junto á Lérida.

Adventu Vibullii Rufi, quem à Pompejo missum in Hispaniam demonstratum est, Afranius et Petrejus, et Varro legati Pompeji, quorum unus tribus legionibus Hispaniam citeriorem, alter à saltu Castulonensi ad Anam duabus legionibus, tertius ab Ana Vectonum

agrum, Lusitaniamque pari número legionum obtinebat, officia inter se partiuntur, ut Petrejus ex Lusitania per Vectones cum omnibus copiis ad Afranium proficiscatur, Varro cum iis, quas habebat, legionibus omnem ulteriorem Hispaniam tueatur. His rebus constitutis, equites auxiliaque toti Lusitaniæ à Petrejo; Celtiberis, Cantabris, barbarisque omnibus, quid ad Oceanum pertinent, ab Afranio imperantur. Quibus coactis, celeriter Petrejus per Vectones ad Afranium pervenit. Constituunt communi consilio bellum ad Ilerdam propter ipsius loci opportunitatem gerere. Erant, ut suprâ demonstratum est, legiones Afranii tres, Petreji duæ; præterea scutatæ ceterioris provinciæ et cetratæ ulterioris Hispaniæ cohortes circiter octoginta, equitum utriusque provinciæ circiter quinque millia.

2. César, sabedor de que Pompeyo vendria sin demora á España, toma dinero, lo reparte á la tropa, y asegura la voluntad de los suyos.

Cæsar legiones in Hispaniam præmiserat, ad sex millia auxilia peditum, equitum tria millia, quæ omnibus superioribus bellis habuerat, et parem ex Gallia numerum, quem ipse paraverat, nominatim ex omnibus civitatibus nobilissimo et fortissimo quoque evocato. Hinc optimi generis homines ex Aquitanis montanisque, qui Galliam provinciam attingunt. Audierat Pompejum per Mauritaniam cum legionibus iter in Hispaniam facere, confestimque esse venturum: simul à tribunis militum centurionibusque mutuas pecunias sumpsit. Has exercitui distribuit: quo facto, duas res

consecutus est, quòd pignore ánimos centurionum devinxit, et largitione redemit militum voluntates. Fabius finitimarum civitatum ánimos literis nuntiisque tentabat. In Sicore flúmine pontes effecerat duos inter se distantes millia passuum quatuor. His póntibus pabulatum mittebat: quòd ea, quæ citra flumen fúerant, superióribus diebus consúmpserat. Hoc idem fere, atque eadem de causa Pompejani exércitús duces faciebant; crebròque inter se equéstribus præliis contendebant.

3. Los soldados de Fabio tienen encuentros frecuentes con los de Pompeyo.—Una grande avenida corta el puente superior del Segre.

Húc quum quotidiana consuetudine congressæ pabulatoribus præsidio proprio legiones Fabianæ duæ flumen transissent; impedimenta que, et omnis equitatus sequeretur; subitò, vi ventorum et aquæ magnitudine pons est interruptus, et reliqua multitudo équitum interclusa. Quo cognito à Petrejo et Afranio ex ággere atque crátibus, quæ flumine ferebantur, celeriter ponte Afranius, quem óppido castrisque conjunctum habebat, legiones quatuor, equitatumque omnem transjecit, duabusque Fabianis occurrit legiónibus. Cujus adventu nuntiato, L. Plancus, qui legiónibus præerat, necessaria re coactus, locum capit superiorem, diversamque aciem in duas partes constituit, ne ab equitatu circumveniri posset. Ita congressus impari número magnos impetus legionum equitatusque sústinet. Commisso ab equítibus prælio, signa duarum legionum procùl ab utrisque conspiciuntur, quas C. Fabius ulteriore

ponte subsidio nostris miserat, suspicatus fore id, quod accidit, ut duces adversariorum occasione et beneficio fortunæ ad nostros opprimendos uterentur: quarum adventu prælium dirimitur, ac suas uterque legiones reducit in castra.

THEMA LXIV.

1. Manda César rehacer este puente: se dirige hácia Lérida, y pone su campo cerca del de Afranio.

Eo biduo Cæsar cum equitibus nongentis, quos sibi præsidio reliquerat, in castra pervenit. Pons qui fuerat tempestate interruptus, neque erat resectus, hunc noctu pèrfici jussit. Ipse, cògnita locorum naturà, ponti castrisque præsidio sex cohortes relinquit, atque omnia impedimenta; et pòstero die ómnibus copiis, triplici instructa acie, ad Ilerdam proficiscitur, et sub castris Afranii consistit, et ibi paulisper sub armis moratus, facit æquo loco pugnandi potestatem. Potestate facta, Afranius copias educit, et in medio colle sub castris consistit. Cæsar, ubi cognovit per Afranium stare, quominus prælio dimicaretur, ab infimis radicibus montis, intermissis circiter pàssibus quatuorcentis castra fàcere constituit; et, ne in ópere faciendo milites repentino hostium incursu exterrerentur, atque ópere prohiberentur, vallo muniri vétuit, quod eminere, et procul videri necesse erat. Sed à fronte contra hostem pedum quindecim fossam fieri jussit.

2. Fortifica César este campamento, sin que se lo impidiesen Afranio y Petreyo, aunque lo intentaron provocándole á pelear.

Prima et secunda acies in armis, ut ab initio con-

stituta erat, permanebat. Post hos opus in occulto acies tertia faciebat. Sic omne prius est perfectum, quàm intelligeretur ab Afranio castra muniri. Sub vespere Cæsar intra hanc fossam legiones reducit, atque ibi sub armis próxima nocte conquiescit. Pósteró die omnem exércitum intra fossam cóntinet: et, quòd longiùs erat agger petendus, in præsentia similem rationem óperis instituit, singulaque látera castrorum singulis attribuit legiónibus munienda; fossasque ad eamdem magnitudinem pérfici jubet. Réliquas legiones in armis expeditas contra hostem constituit. Afranius Petrejusque, terrendi causà, atque óperis impediendi, copias suas ad ínfimas montis radices producant, et prælio lacesunt. Neque idcirco Cæsar opus intermitit, confisus præsidio legionum trium, et munitione fossæ: illi non diu commorati, nec longiùs ab ínfimo colle progressi, copias in castra reducant.

THEMA LXV.

4. Vienen á las manos las avanzadas de ambos ejércitos por ocupar cierta altura intermedia, en cuya refriega son rechazados los soldados del César.

Tertia die Cæsar vallo castra communit: réliquas cohortes, quas in superioribus castris reliquerat, impedimenta que ad se transduci jubet. Erat inter oppidum Ilerdam, et próximum collem, ubi castra Petrejus atque Afranius habebant, planities circiter passuum tercentorum, atque in hoc fere medio spatio túmulus erat paulo editior: quem si occupasset Cæsar, et communisset, ab oppido, et ponte, et commeatu omni,

quem in oppidum contulerant, se interclusurum adversarios confidebat. Hoc sperans, legiones tres ex castris educit: acieque in locis idoneis instructa, unius legionis antesignanos praecurrere, atque occupare eum tumultum jubet. Qua re cognita, celenter quae in statione pro castris erant Afranii cohortes, breviori itinere ad eundem occupandum locum mittuntur. Contenditur praelio, et quod prius in tumultum Afraniani venerant, nostri repelluntur, atque aliis submissis subsidiis, terga vertere, seque ad signa legionum recipere coguntur.

2. El modo de pelear de los Afranianos pone en desorden a los de César, y los obliga a retirarse.

Genus erat pugnae militum illorum, ut magno impetu primo procurrerent, audacter locum caperent, ordines suos non magnopere servarent, rari dispersique pugnarent: si premerentur, pedem referre, et loco excedere non turpe existimarent, cum Lusitanis, reliquisque barbaris genere quodam pugnae assuefacti: quod ferè fit, quibus quisque in locis miles inveteraverit, uti multum earum regionum consuetudine moveatur. Haec tamen ratio nostros perturbat, insuetos huius generis pugnae. Circumiri enim sese ab aperto latere, procurrentibus singulis, arbitrabantur. Ipsi autem suos ordines servare, neque ab signis discedere, neque sine gravi causa eum locum, quem ceperant, dimitti, censuerant oportere. Itaque, perturbatis antesignanis, legio, quae in eo cornu constiterat, locum non tenuit, atque in proximum collem sese recepit.

THEMA LXVI.

4. Socorre César á los suyos, y lleva al enemigo en retirada hasta el muro de la ciudad. Repitense luchas sangrientas con variedad de sucesos.

Cæsar, pene omni acie perterrita, quod præter opinionem, consuetudinemque acciderat, cohortatus suos, legionem nonam subsidio ducit: hostem insolenter, atque ácrius nostros insequentem súpprimít, rursusque terga vérttere, seque ad oppidum Ilerdam recipere, et sub muro consistere cogit. Sed nonæ legionis milites elati studio, dum sarcire acceptum detrimentum volunt, témerè insecuti fugientes in locum iniquum progrediuntur, et sub montem, in quo erat oppidum pòsitum, succedunt. Hinc se recipere quum vellent, rursus illi ex loco superiore nostros premebant. Præruptus locus erat, utrâque ex parte directus, ac tantum in latitudinem patebat, ut tres instructæ cohortes eum locum explerent, et neque subsidia à latèribus submitti, neque équites laborantibus usui esse possent. Ab oppido autem éditus locus tenui fastigio vergebat in longitudinem passuum circiter quadringentorum. Hæc nostris erat réceptus, quòd eò, incitati studio, inconsultius processerant. Hoc pugnabatur loco et propter angustias iniquo, et quòd sub ipsis radicibus montis constiterant, ut nullum frustra telum in eos mitteretur; tamen virtute, et patientia nitebantur, atque omnia vùlnera sustinebant. Augebantur illis copiæ, atque ex castris cohortes per oppidum crebrò submittebantur, ut integri defessis succéderent. Hoc idem

Cæsar facere cogebatur, ut submisiss in eundem locum cohórtibus, defessos recíperet. Hoc quum esset modo pugnatum continenter horis quinque, nostrique gravius à multitudine premerentur, consumptis ómnibus telis, gladiis districtis, ímpetum adversus montem in cohórtes faciunt, paucisque dejectis, reliquos sese convértere cogunt.

2. Facilita César á los suyos la retirada del estrecho, en que incautamente habian caído.—Número de los muertos.—Ambos ejércitos juzgan haber salido vencedores.

Summotis sub murum cohórtibus, ac nonnulla parte propter terrorem in óppidum compulsis, facilis est nostris receptus datus. Equitatus autem noster ab utroque látere, etsi dejectis, atque inferioribus locis constitèrat, tamen in summum jugum virtute conñitur, atque inter duas acies peréquitans, commodiorem ac tutiorem nostris receptum dat. Ita vario certámine pugnatum est. Nostrí in primo congressu circiter septuaginta ceciderunt, in his Q. Fulginius ex primo hastato legionis quartæ décimæ, qui propter eximiam virtutem, ex inferioribus ordinibus in eum locum pervénérat. Vulnerantur ampliùs sexcenti. Ex Afranianis interficitur T. Cæcilius, primipili centurio, et præter eum, centuriones quatuór, milites ampliùs ducenti. Sed hæc ejus diei præfertur opinio, ut se utrique superiores discessisse existimarent: Afraniani, quòd, quum esse ómnium judicio inferiores viderentur, cóminùs tamdiu stetissent, et nostrorum ímpetum sustinuissent; et initio locum, tumultumque tenuissent, quæ causa pugnandi fúerat, et nostros primo congressu terga vértèrè

coëgissent: nostri autem, quòd iniquo loco, atque impari congressi número, quinque horis praelium sustinuis-
sent; quòd montem gladiis districtis adscendissent; quòd ex loco superiore terga vérttere adversarios coëgissent, atque in oppidum compulissent. Illi eum tumultum, pro quo pugnatum est, magnis opéribus munierunt, præsidiumque ibi posuerunt.

THEMA LXVII.

4. Salen los rios de madre y destruyen los puentes.—Que-
da César entre el Segre y el Cinca en la más apurada situacion.

Accidit etiam repentinum incómodum biduo, quo hæc gesta sunt. Tanta enim tempestas coóritur, ut nunquam illis locis majores aquas fuisse constaret. Tum autem ex ómnibus móntibus nix prófluit, ac summas ripas flúminis superavit, pontesque ambos, quos C. Fabius fécerat, uno die interruptit. Quæ res magnas difficultates exercitui Cæsaris áttulit. Castra enim, ut supra demonstratum est, quum essent inter flúmina duo, Sicorim et Cingam, spatio millium triginta, neutrum horum transiri póterat, necessariòque omnes his angustiis continebantur: neque civitates, quæ ad Cæsaris amicitiam accésserant, frumentum supportare, neque ii, qui pabulatum longius progressi erant, interclusi fluminibus, reverti, neque máximi comitatus, qui ex Italia, Galliaque veniebant, in castra pervenire póterant. Tempus autem erat anni difficillimum, quo neque frumenta in herbis erant, neque multum à maturitate áberant: ac civitates exinanitæ, quòd Afranius

pæne omne frumentum ante Cæsaris adventum Ilerdam convéxerat: réliqui si quid fúerat, Cæsar superióribus diebus comsúmpserat: pécora, quod secundum póterat esse inopiæ subsidium, propter bellum finitimæ civitates longiùs remóverant: qui erant pabulandi, aut frumentandi causà progressi, hos levis armaturæ Lusitani, peritique earum regionum cetrati citerioris Hispaniæ consecrabantur, quibus erat proclive transnare flumen, quòd consuetudo eorum omnium est, ut sine útribus ad exércitum non eant.

2. Afranio, por el contrario, estaba repuesto de todo.— Pretende César rehacer los puentes, mas en vano.

At exércitus Afranii omnium rerum abundabat copiâ. Multum erat frumentum provisum, et convectum superióribus tempóribus, multum ex omni provincia comportabatur: magna copia pábuli suppetebat. Harum rerum omnium facultates sine ullo periculo pons Ilerdæ præbebat, et loca trans flumen integra, quò omninò Cæsar adire non póterat. Eæ permanserunt aquæ dies complures. Conatus est Cæsar reficere pontes; sed nec magnitudo flúminis permittebat, neque ad ripam dispositæ cohortes adversariorum pèrfici patiebantur; quod illis prohibere erat facile, cùm ipsius fluminis naturâ, atque aquæ magnitudine, tùm quòd ex totis ripis in unum, atque angustum locum tela jaciebantur: atque erat difficile eodem témpore rapidissimo flúmine ópera perficere, et tela vitare.

THEMA LXVIII.

1. Sabiendo Afranio que estaban detenidos junto al río los convoyes para el César, trata de ocuparlos.—Los soldados de este se defienden con valor, pero al fin se retiran á los montes próximos.

Nuntiatur Afranio, magnos comitatus, qui iter habebant ad Cæsarem, ad flumen constitisse. Venerant eò sagitarii ex Ruthenis, équites ex Gallia cum multis carris, magnisque impedimentis ut fert Gállica consuetudo. Erant præterea cujusque géneris hóminum millia circiter sex cum servis liberisque: sed nullus ordo, nullum imperium certum, quum suo quisque consilio uteretur, atque omnes sine timore iter facerent, usi superiorum témporum atque itinerum licentiâ. Erant complures honesti adolescentes, senatorum filii, et equestris órdinis: erant legationes civitatum: erant legati Cæsaris. Hos omnes flúmina continebant. Ad hos opprimendos cum omni equitatu, tribusque legionibus Afranius de nocte proficiscitur, imprudentesque ante missis equitibus aggréditur. Celériter tamen sese Galli équites expediunt, præliumque committunt. Hi, dum pari certámine res geri potuit, magnum hostium número pauci sustinere; sed ubi signa legionum appropinquare cœperunt, paucis amissis, sese in montes próximos cónferunt. Hoc pugnae tempus magnum attulit nostris ad salutem momentum. Nacti enim spatium se in loca superiora receperunt. Desiderati sunt eo die sagitarii circiter ducenti, équi-

tes pauci: calorum atque impedimentorum non magnus númerus.

2. Faltan ya viveres á los Cesarianos. César busca medios de socorrer la necesidad. Envíanse á Roma noticias exageradas de estos sucesos.

His tamen ómnibus annona crevit, quæ ferè res non solùm inopiâ præsentis sed etiam futuri témporis timore ingravescere consuevit. Jamque ad denarios quinquaginta in singulos modios annona pervenerat, et militum vires inopiâ frumenti diminuerat, atque incómmoda in dies augebantur, et tam paucis diebus magna erat rerum facta commutatio, ac se fortuna inclináverat, ut nostri magnâ inopiâ necessariarum rerum conflictarentur: illi ómnibus abundarent rebus, superioresque haberentur. Cæsar iis civitatibus, quæ ad ejus amicitiam accésserant, quòd minor erat frumenti copia, pecus imperabat; calones ad longinquiores civitates dimittebat. Ipse præsentem inopiam, quibus poterat subsidiis, tutabatur. Hæc Afranius, Petrejusque, et eorum amici pleniora etiam atque uberiora Romam ad suos perscribebant. Multa rumor fingebat, ut pene bellum confectum videretur. Quibus literis, nuntiisque Romam perlatis, magni domum concursus ad Afranium; magnæ gratulationes fiebant: multi ex Italia ad Cn. Pompejum proficiscebantur: alii, ut principes talem nuntium attulisse, ne eventum belli exspectasse, aut ex ómnibus novíssimi venisse viderentur.

THEMA LXIX.

1. César, construyendo canoas, pasa con ellas parte de sus tropas, ocupa cierta altura y la fortalece. Levanta un puente en dos dias: provee de bastimentos á sus tropas, y mata gran número de enemigos.

Quum in his angustiis res esset, atque omnes viæ ab Afraniânis militibus, equitibusque obsiderentur, nec pontes pèrfici possent, imperat militibus Cæsar, ut naves faciant, cujus géneris eum superiôribus annis usus Britannîæ docuerat. Carinæ primùm, ac statûmina ex levi materia fiebant: reliquum corpus navium viminibus contextum, coriis integebatur. Has perfectas carris junctis dévehit noctu millia passuum à castris viginti duo, militesque his návibus flumen trasportat, continentemque ripæ collem improvisò occupat. Hunc celeriter, priùs quàm ab adversariis sentiatur, communit. Húc legionem postea transducit, atque ex utrâque parte pontem institutum pèrficit biduo. Ita comitatus, et qui frumenti causâ procéserant, tutò ad se récipit; et rem frumentariam expedire incipit. Eodem die équitum magnam partem flumen transjecit: qui inopinantes pabulatores, et sine ullo dissipatos timore aggressi, quàm máximum númerum jumentorum, atque hómínium intercipiunt: cohórtibusque cetratis subsidio missis, scienter in duas partes sese distribuunt, alii, ut prædæ præsidio sint, alii, ut veniéntibus resistent, atque eos propellant; unamque cohortem, quæ témerè ante cæteras extra aciem procúrrerat, seclusam à réliquis circumveniunt, atque interficiunt: incólu-

mesque cum magna præda eodem ponte in castra re-
vertuntur.

THEMA LXX.

4. Los Marselleses preparan algunas naves, y se dirigen con mucha confianza contra la escuadra de Bruto. — Este se dispone tambien para la lucha.

Dum hæc ad Ilerdam geruntur, Massilienses usi L. Domitii consilio, naves longas expediunt, número septémdecim quarum erant undecim tectæ. Multa his minora navigia addunt, ut ipsâ multitudine nostra classis terreatur: magnum número sagittariorum, magnum Albicorum, de quibus suprâ demonstratum est, imponunt: atque hos præmiis, pollicitationibusque incitant. Certas sibi deposcit naves Domitius, atque has colonis pastóribusque, quos secum addúxerat, complet. Sic ómnibus rebus instructa classe, magnâ fiducia ad nostras naves procedunt, quibus præerat D. Brutus. Hæ ad insulam, quæ est contra Massiliam, stationes obtinebant. Erat multò inferior número navium Brutus: sed delectos ex ómnibus legionibus fortissimos viros, antesignanos, centuriones Cæsar ei classi attribúerat, qui sibi id múnis depopóscerant. Ii manus férreas, atque harpagones paráverant; magnoque número pilorum, tragularum, reliquorumque telorum se instrúxerant: ita, cógnito hostium adventu, suas naves ex portu educunt; cum Massiliénsibus confligunt.

2. Trábase un reñido combate, en el cual quedan vencedores los Cesarianos.

Pugnatum utrinque est fortissimè atque acérrimè, neque multum Albici nostris virtute cedebant, hómines asperi et montani, exercitati in armis, atque ii modò digressi à Massiliensibus, recentem eorum pollicitationem animis continebant; pastoresque indómiti, spe libertatis excitati, sub óculis dómini suam probare óperam studebant. Ipsi Massilienses et celeritate navium, et scientià gubernatorum confisi, nostros eludebant, impetusque eorum excipiebant: et quoad licebat latiore spatio, producta longius acie, circumvenire nostros aut pluribus navibus adoriri singulas, aut remos transeuntes detérgere, si possent, contendebant; quum propiùs erat necessario ventum, ab scientia gubernatorum atque artificiis ad virtutem montanorum confugiebant. Nostri, quòd minùs exercitatis remigibus, minusque peritis gubernatoribus utebantur, qui repente ex onerariis návibus erant producti, neque dum etiam vocábulis armamentorum cógnitis, tum etiam gravitate et tarditate navium impediabantur. Factæ enim subitò ex húmida materia non eundem usum celeritatis habebant. Itaque, dum locus cóminus pugnandi daretur, æquo ánimo singulas binis návibus objiciebant, atque injecta manu ferreà, et re-tenta utraque nave, diversi pugnabant, atque in hostium naves transcendebant: et, magno número Albicorum et pastorum interfecto, partem navium déprimunt; nonnullas cum hominibus capiunt, reliquas in

portum compellunt. Eo die naves Massiliensium, cum
iis, quæ sunt captæ, intereunt novem.

THEMA LXXI.

1. Cambio de la fortuna.—El ejército enemigo sale ya á buscar forraje con muchas precauciones.—Varias ciudades envían diputaciones á César: otras se le agregan, abandonando el partido de Afranio.

Hoc Cæsari ad Ilerdam nuntiato, simul perfecto ponte, celériter fortuna mutatur. Illi pertérriti virtute équitum, minùs liberè, minùs audacter vagabantur: aliàs, non longo ab castris progressi spatio, ut célerem receptum haberent, angustius pabulabantur, aliàs, longiore circûitu, custodias stationesque équitum vitabant; aut áliquo accepto detrimento, aut procul equitatu viso, ex medio itinere, projectis sarcinis, fugiebant: postremò et plures intermittere dies, et, præter consuetudinem ómnium, noctu constituérant pabulari. Interim Oscenses, et Calagurritani, qui erant cum Oscénsibus contributi, mittunt ad eum legatos, seseque imperata facturos pollicentur. Hos Tarraconenses, et Lacetani, et Ausetani, et paucis post diebus Illurgavonenses, qui flumen Iberum attingunt, insequuntur. Petit ab his ómnibus, ut se frumento juvent. Pollicentur, atque, ómnibus úndique conquisitis jumentis, in castra deportant. Transit etiam cohors Illurgavonensis ad eum, cógnito civitatis consilio, et signa ex statione transfert. Magna celeriter fit commutatio rerum. Perfecto ponte, magnis quinque civitatibus ad amicitiam adjunctis, expedita re frumentaria, extinctis rumóri-

bus de auxiliis legionum, quæ cum Pompejo per Mauritaniam venire dicebantur, multæ longinquiores civitates ab Afranio desciscunt, et Cæsaris amicitiam sequuntur.

THEMA LXXII.

1. Manda César abrir zanjas, para hacer vadeable el Segre.—Intimidados Afranio y Petreyo trasladan la guerra á la Celtiberia.

Quibus rebus pertérritis ánimis adversariorum, Cæsar, ne semper magno circúitu per pontem equitatus esset mittendus, nactus idóneum locum fossas pedum triginta in altitudinem complures fácere instituit, quibus partem aliquam Sicoris avérteret, vadumque in eo flúmine efficeret. His pene effectis, magnum in timorem Afranius, Petrejusque perveniunt, ne omninò frumento, pábuloque intercluderentur, quòd multum Cæsar equitatu valebat. Ítaque constituunt his locis excédere, et in Celtiberiam bellum transferre. Huic consilio suffragabatur etiam illa res, quod ex duobus contrariis genéribus, quæ superiore bello cum L. Sertorio steterant, civitates victæ nomen atque imperium absentis timebant: quæ in amicitia mánserant Pompeji, magnis affectæ beneficiis eum diligebant: Cæsaris autem in bárbaris erat nomen obscurius. Hinc magnos equitatus, magnaque auxilia exspectabant, et suis locis bellum in hiemem dúcere cogitabant. Hoc inito consilio toto flúmine Ibero naves conqueri, et Octogesam adduci jubent. Id erat oppidum pòsitum ad Ibe-

rum, milliaque passuum à castris aberat viginti. Ad eum locum fluminis návis junctis, pontem imperant fieri, legionesque duas flumen Sicorim transducunt, castraque muniunt vallo pedum duódecim.

2. Pasa César su caballería por el Segre, y marcha á cortar al enemigo la retirada por el Ebro.

Qua re per exploratores cógnita, labore militum Cæsar, continuato diem noctemque ópere in flumine avertendo, huc jam rem dedúxerat, ut équites, etsi difficulter, atque ægrè fiebat, possent tamen, atque auderent flumen transire; pédites verò tantúmmodo húmeris, ac summo pectore exstarent, et cùm altitúdine aquæ, tùm etiam rapiditate fluminis ad transeundum impedirentur. Sed tamen eodem fere témpore pons in Ibero prope effectus nuntiabatur, et in Sícori vadum reperiebatur. Jàm verò eo magis illi maturandum iter existimabant. Itaque duabus auxiliáribus cohórtibus Ilerdæ præsidio relictis, ómnibus copiis Sicorim tránseunt, et cum duabus legiónibus, quas superióri-
bus diebus transdúxerant, castra conjungunt. Relinquebatur Cæsari nihil, nisi uti equitatu agmen adversariorum malè haberet, et carperet. Pons enim ipsius magnum circúitum habebat; ut multò brevior itinere illi ad Iberum pervenire possent. Equités ab eo missi flumen tránseunt; et quum de tertia vigilia Petrejus atque Afranius castra movissent, repentè sese ad novissimum agmen ostendunt; et magna multitudine circumfusa, morari, atque iter impedire incipiunt.

THEMA LXXIII.

1. Viendo César los soldados bien dispuestos, y que su caballería entretiene al enemigo, pasa su ejército salvo por el Ebro.

Primâ luce ex superiôribus locis, quæ Cæsaris castris erant conjuncta, cernebatur equitatus nostri prælio novissimos illorum premi vehementer, ac nonnumquam subsistere extremum agmen, atque interrumpi; aliàs inferri signa, et universarum cohortium impetu nostros propelli, deinde rursus conversos insequi: totis verò castris milites circulari, et dolere, hostem ex mânibus dimitti; bellum necessario longius duci: centuriones tribunosque militum adire, atque obsecrare, ut per eos Cæsar certior fieret, «ne labori suo nec periculo párceret; paratos esse, sese posse, et audere eâ transire flumen, quâ transductus esset equitatus.» Quorum studio et vóçibus excitatus Cæsar, etsi timebat tantæ magnitudinis flúmini exércitum objicere, conandum tamen, atque experiendum júdicat. Itaque infirmiores milites ex ómnibus centuriis déligi jubet, quorum aut ánimus, aut vires videbantur sustinere non posse. Hos cum legione una præsidio castris relinquit; réliquas legiones expeditas educit, magnoque número jumentorum in flúmine supra atque infra constituto, transducit exércitum. Pauci ex his militibus vi flúminis abrepti ab equitatu excipiuntur ac sublevantur; interiit tamen nemo. Transducto incólumi exércitu, cópias instruit; tríplicemque aciem dúcere incipit. Ac tantum fuit in militibus stu-

dium, ut millium sex áddito circúitu, magnàque ad vadam fluminis morà interpósità, eos, qui de tertia vigilia exissent, ante horam diei nonam consequerentur.

2. Acampan Afranio y Petrejo, y ordenan sus tropas.— César repara las suyas con objeto de perseguir al enemigo.— Intentan aquellos sacar en silencio su gente; pero el temor les hace suspender la marcha.

Quos ubi Afranius procul visos cum Petrejo conspexit, nova re pertérritus, locis superióriibus constitit, aciemque instruit. Cæsar in campis exercitum refecit, ne defessum prælio objiciat. Rursus conantes progredi inséquitur, et moratur. Illi necessariò maturius, quàm constitúerant, castra ponunt. Súberant enim montes, atque à millibus passuum quinque itinera difficilia atque angusta excipiebant. Hos intra montes se recipiebant, ut equitatum effúgerent Cæsarís, præsidiisque in angustiis collocatis, exercitum itinere prohiberent, ipsi sine periculo, ac timore Iberum copias transdúcerent: quod fuit illis conandum, atque omni ratione efficiendum: sed totius diei pugná, atque itineris labore defessi, rem in pósterum diem distulerunt. Cæsar quoque in próximo colle castra ponit. Media circiter nocte iis, qui adaquandi causà longius à castris processserant, ab equíbus correptis, fit ab his certior Cæsar, duces adversariorum silentio copias castris educere. Quo cógnito, signum dari jubet, et vasa militari more conclamari. Illi, exaudito clamore, vériti, ne noctu impediti sub ónere configere coge-

rentur, aut ne ab equitatu Caesaris in angustiis tene-
rentur, iter supprimunt, copiasque in castris con-
tinent.

THEMA LXXIV.

1. Explórase por ambas partes la situacion del terreno.—
Petreyo y Afranio consultan sobre la hora en que convendria
marchar, y se deciden por la mañana siguiente.

Póstero die Petrejus cum paucis equitibus occultè
ad exploranda loca proficiscitur. Hoc idem fit ex ca-
stris Caesaris. Mittitur L. Decidius Saxa cum paucis,
qui loci naturam perspiciat. Uterque idem suis renun-
tiat, quinque millia pássuum próxima intercédere iti-
neris campestris; inde excipere loca áspera et mon-
tuosa: qui prior has angustias occupáverit, ab hoc
hostem prohiberi nihil esse negotii. Disputatur in con-
cilio à Petrejo et Afranio, et tempus profectionis quaeritur. Plerique censebant, «ut noctu iter fácerent:
posse priùs ad angustias veniri, quàm sentirentur.
Alii, quòd pridie noctu conclamatum esset in castris
Caesaris, argumenti sumebant loco, non posse clam
exiri, circumfundi noctu equitatum Caesaris, atque
omnia loca et itinera obsideri: nocturnaue praelia
esse vitanda, quòd pertérritus miles in civili dissen-
sione timori magis, quàm religioni consúlere consue-
verit: at lucem multum per se pudorem omnium ócu-
lis, multum etiam tribunorum militum, et centurio-
num præsentiám afferre, quibus rebus coërceri mili-
tes, et in officio contineri sóleant. Quare omni ratione
esse interdium perrumpendum. Etsi aliquo accepto de-

trimento; tamen, summâ exércitûs salvâ, locum, quem petant, capi posse. » Hæc vicit in concilio sententia, et prima luce postridie constituunt proficisci.

THEMA LXXV.

— 1. Marcha César, rodeando y superando dificultades, á buscar de frente al enemigo. — Insúltanle los soldados de Afranio, y toman el camino del Ebro.

Cæsar, exploratis regiónibus, albente cœlo, omnes copias castris educit; magnoque circûitu, nullo certo itinere exércitum ducit. Namque itinera, quæ ad Iberum atque Octogesam pertinebant, castris hostium oppositis tenebantur. Ipsi erant transcendendæ valles máximæ ac difficillimæ: saxa multis locis prærupta iter impediabant, ut arma per manus necessariò traderentur, militesque inermes, sublevatique alii ab aliis magnam partem itineris conficerent. Sed hunc laborem recusabat nemo, quòd eum omnium laborum finem fore existimabant, si hostem Íbero intercludere, et frumento prohibere potuissent. Ac primò Afraniani milites visendi causâ læti ex castris procurrebant, contumeliosisque vóciis prosequerentur, « necessarij victus inopiâ coactos fúgere, atque ad Ilerdam reverti. » Erat enim iter à propósito diversum; contrariamque in partem iri videbatur. Duces verò eorum suum consilium laudibus ferebant, quòd se castris tenuissent: multumque eorum opinionem adjuvabat, quòd sine jumentis, impedimentisque ad iter profectos videbant; ut non posse diutius inopiam sustinere confiderent. Sed ubi paulatim retorqueri agmen ad dextram

conspexerunt; jamque primos superare regionem castrorum animadverterunt, nemo erat adeo tardus, aut fugiens laboris, quin statim castris exeundum, atque occurrendum putaret.

2. Procuran unos y otros tomar posiciones ventajosas.— César coloca su ejército frente al enemigo y en orden de batalla.—Destroza cuatro cohortes enviadas por Afranio á ocupar un monte elevado.

Conclamatur ad arma: atque omnes copiae, paucis praesidio relictis cohortibus, exeunt, rectoque ad Iberum itinere contendunt. Erat in celeritate omne positum certamen, utri prius angustias montesque occuparent: sed exercitum Caesaris viarum difficultates tardabant; Afranii copias equitatus Caesaris insequens morabatur. Res tamen ab Afranianis huc erat necessario deducta, ut, si priores montes, quos petebant, attigissent, ipsi periculum vitarent; impedimenta totius exercitus, cohortesque in castris relictas servare non possent, quibus interclusis exercitu Caesaris, auxilium ferri nulla ratione poterat. Confecit prior iter Caesar, atque ex magnis rupibus nactus planiciem, in hac contra hostem aciem instruit. Afranius, quum ab equitatu novissimum agmen premeretur, et ante se hostem videret, collem quemdam nactus, ibi constitit. Ex eo loco quatuor cetratorum cohortes in montem, qui erat in conspectu omnium excelsissimus, mittit. Hunc magno cursu concitatos jubet occupare, eo consilio, uti ipse eodem omnibus copiis contenderet, et mutato itinere, jugis Octogesam perveniret. Hunc quum obliquo itinere cetrati peterent, conspicatus equitatus

Cæsaris, in cohortes impetum facit: nec minimam partem temporis équitum vim cetrati sustinere potuerunt: omnesque ab his circumventi, in conspectu utriusque exercitus interficiuntur.

THEMA LXXVI.

1. Préséntase al César la mejor ocasion de conseguir completa victoria. Ruéganle en vano sus oficiales, que mande dar la batalla.

Erat occasio benè gerendæ rei. Neque verò id Cæsarem fugiebat, tanto sub óculis accepto detrimento, pertérritum exércitum sustinere non posse, præsertim circúdatum undique equitatu, quum in loco æquo atque aperto confligeretur: idque ex ómnibus pártibus ab eo flagitabatur. Concurrabant legati, centuriones, tribunique militum, «ne dubitaret prælium committere: ómnium esse militum paratissimos ánimos: Afranios contrà multis rebus sui timoris signa misisse, quòd suis non subvenissent, quòd de colle non decederent, quòd vix équitum incursus sustinerent, collatisque in unum locum signis, conferti neque órdenes neque signa servarent. Quòd si iniquitatem loci timeret, datum iri tamen áliquo loco pugnandi facultatem, quòd certè inde decedendum esset Afranio, nec sine aqua permanere posset.

2. Prefiere vencer al enemigo sin derramar sangre, estrechándole por todas partes.—Petreyo y Afranio se retiran á su campamento.—César fortifica el suyo junto al de los enemigos.

Cæsar in eam spem vénerat, se sine pugna, et sine

vulnere suorum rem conficere posse; quòd re frumentaria adversarios interclusisset. Cur etiam secundo praelio aliquos ex suis amitteret? Cur vulnerari pateretur óptimè méritos de se milites? Cur déniquè fortunam periclitaretur, præsertim quum non minùs esset imperatoris consilio superare, quàm gladio? Movebatur etiam misericordià civium, quos interficiendos videbat; quibus salvis atque incolúmibus rem obtinere malebat.» Hoc consilium Cæsaris à plerisque non probabatur. Milites verò palàm inter se loquebantur, «quoniam talis occasio victoriæ dimitteretur, etiam quum vellet Cæsar, sese non esse pugnatu-ros.» Ille in sua sententia perséverat; et paulum ex eo loco digréditur, ut timorem adversariis minuat. Petrejus atque Afranius, oblata facultate, in castra sese réferunt. Cæsar, præsiidiis móntibus dispóitis, omni ad Iberum intercluso itinere, quàm proximè potest hostium castris, castra communit.

THEMA LXXVII.

4. Celebran consejo los capitanes enemigos. Toman disposiciones para que pueda abreviar libremente su caballeria. Petreyo y Afranio se encargan de practicarlas.

Pósterio die duces adversariorum perturbati, quòd omnem rei frumentariæ flúminisque Iberi spem amiserant, de réliquis rebus consultabant. Erat unum iter, Illerdam si reverti vellent; álterum, si Tarraconem péterent. Hæc consiliántibus eis, nuntiatur, aquatores ab equitatu premi nostro: qua re cognita, crebras stationes disponunt équitum, et cohortium alariarum,

legionariasque interjiciunt cohortes, vallumque ex castris ad aquam dúcere incipiunt, ut intra munitionem et sine timore, et sine stationibus aquari possent. Id opus inter se Petrejus atque Afranius partiantur: ipsique, perficiendi operis causâ, longius progrediuntur. Quorum discessu liberam nacti milites colloquiorum facultatem, vulgò procedunt: et quem quisque in castris notum, aut municipem habebat, conquirunt, atque vocat. Primum agunt gratias omnes omnibus, quòd sibi pertérritis pridie pepercissent: eorum se beneficio vivere: deinde imperatoris fidem quaerunt, rectè se illi sint commissuri; et, quòd non ab initio fécerint, armaque cum hominibus necessariis, et consanguineis contulerint, conqueruntur.

2. Entre tanto los soldados conferencian amistosamente con los Cesarianos —Preséntanse al César proposiciones de paz, y todo parecia estar ya arreglado.

His provocati sermonibus, fidem ab imperatore de Petreji et Afranii vita petunt; ne quod in se scelus concepissem, neu suos prodidisse videantur. Quibus confirmatis rebus, se statim signa translaturus confirmant; legatosque de pace primorum ordinum centuriones ad Cæsarem mittunt. Interim alii suos in castra, invitandi causâ, adducunt; alii ab suis adducuntur; adeo ut una castra jam facta ex binis viderentur: compluresque tribuni militum et centuriones ad Cæsarem veniunt, seque ei commendant. Hoc idem fit à principibus Hispaniæ, quos illi evocâverant, et secum in castris habebant obsidum loco. Ii suos notos ho-

spitesque quærebant, per quem quisque eorum áditum commendationis haberet ad Cæsarem. Afranii etiam filius adolescens de sua, et parentis sui salute cum Cæsare per Sulpicium legatum agebat. Erant plena lætitiâ, et gratulatione ómnia, eorum, qui tanta pericula vitasse, et eorum, qui sine vûlnerẽ tantas res confecisse videbantur; magnumque fructum suæ pristinæ lenitatis omnium iudicio Cæsar ferebat; consiliumque ejus à cunctis probabatur.

THEMA LXXVIII.

1. Afranio abandona la empresa, y vuelve á su campo.— Petreyo viene de improviso á los suyos, estorba las conferencias con los enemigos, y les hace prestar juramento de fidelidad.

Quibus rebus nuntiatis Afranio, ab instituto ópere discedit, seque in castra rēcipit, sic paratus, ut videbatur, ut quicumque accidisset casus, hunc quieto et æquo ánimo ferret. Petrejus verò non dēserit sese; armat familiam: cum hac et prætoria cohorte cetratorum, bárbarisque equitibus paucis, beneficiariis suis, quos suæ custodiæ causâ habere consuēverat, improvisò ad vallum ádvolat; colloquia militum interrumpit; nostros repellit à castris: quos deprehendit, intērficit. Rēliqui coēunt inter se; et repentino periculo extērriti, sinistras sagis involvunt, gladiosque distringunt: atque ita se à cetratis, equitibusque defendunt, castrorum propinquitate confisi, seque in castra recipiunt; et ab iis cohórtibus, quæ erant in statione ad pórtas, defenduntur. Quibus rebus confectis, flens Petrejus, manipulos circuit, militesque appellat; neu

se, neu Pompejum absentem Imperatorem suum adversariis ad supplicium tradant,» obsecrat. Fit celeriter concursus in prætorium. Postulat, ut jurent omnes, se exercitum, ducesque non deserturos, neque prodituros, neque sibi separatim à reliquis consilium capturos. Princeps in hæc verba jurat ipse, ad idem jusjurandum adigit Afranium. Subsequuntur tribuni militum centurionesque. Centuriatim producti milites idem jurant.

2. Edicto de Pompeyo.—Devuelve César los soldados, que habian quedado en su campo.—Pasánsele muchos de Afranio, que carecian ya de viveres.

Edicunt, penes quem quisque sit miles Cæsaris, ut producat. Productos palàm in prætorio interficiunt. Sed plerique, quos receperant, celant, noctuque per vallum emittunt. Sic terror oblatus à ducibus, crudelitas in supplicio, nova religio jurisjurandi spem præsentis deditionis sustulit, mentesque militum convertit, et rem ad pristinam belli rationem redegit. Cæsar, qui milites adversariorum in castra per tempus colloqui vènerant, summà diligentia conquiri, et remitti jubet: sed ex número tribunorum militum centurionumque nonnulli sua voluntate apud eum remanserunt: quos ille postea magno honore habuit. Centuriones in ampliores ordines, equites Romanos in tribunitium restituit honorem. Premebantur Afraniani pabulatione; aquabantur ægrè: frumenti copiam legionarii nonnullam habebant, quòd dierum duo et viginti ab illerda frumentum jussi erant efferre. Cetrati auxiliaresque nullam, quorum erant et facultates ad parandum.

exiguæ, et cōrpora insueta ad ōnera portanda. Itaque magnus eorum quotidie nūmerus ad Cæsarem perflu-
giebat.

THEMA LXXIX.

1. Los de Afranio salen del campo con direccion á Léri-
da.—César marcha tras ellos.—Tienen algunos encuentros.—
Forma con que pelean aquellos.

In his erat angustiiis res: sed ex propōsitis consiliis duobus explicitius videbatur Ilerdam reverti, quòd ibi paululum frumenti reliquerant. Ibi se reliquum consilium explicaturos confidebant. Tàrraco áberat longiùs: quo spatio plures rem posse casus recipere intelligebant. Hoc probato consilio, ex castris profici-
scuntur. Cæsar, equitatu præmisso, qui novissimum agmen cårperet, atque impediret, ipse cum legionibus subséquitur. Nullum intercedebat tempus, quin extre-
mi cum equitibus præliarentur. Genus erat hoc pugnæ. Expeditæ cohortes novissimum agmen claudebant, pluriesque in locis campestribus subsistebant. Si mons erat adscendendus, fàcilè ipsa loci natura periculum repellebat, quòd ex locis superioribus, qui antecēs-
sant, suos adscendentes protegebant. Quum vallis, aut locus declivis sùberat; neque ii, qui antecēs-
sant, morántibus opem ferre póterant, équites verò ex loco superiore in adversos tela conjiciebant: tum magno erat in periculo res: tum inquirebant, ut, quum ejus-
modi esset locis appropinquatum, legionum signa consistere juberent, magnoque impetu equitatum re-
pellerent: eo summoto, repentè incitato cursu sese in-

valles universi demitterent, atque ita transgressi rursus in locis superioribus consisterent. Nam tantum ab equitum suorum auxiliis aberant, quorum numerum habebant magnum, ut eos superioribus perterritos præliis, in medium reciperent agmen, ultroque eos tuerentur: quoniam nulli ex itinere excédere licebat, quin ab equitatu Cæsaris exciperetur.

THEMA LXXX.

1. Colócanse las tropas en puntos elevados.—Logrando las de Afranio ocasion oportuna, continúan su marcha.—César las persigue, y traba sangrienta lucha con la retaguardia.

Tali dum pugnatur modo, lentè ac paulatim procéditur, crebròque, ut sint auxilio suis, subsistunt, ut tum accidit. Millia enim progressi quatuor, vehementiusque peragitati ab equitatu, montem excelsum capiunt; ibique unà à fronte contra hostem castra muniunt, neque jumentis ónera deponunt. Ubi Cæsaris castra pòsita, tabernáculaque constituta, et dimissos équites pabulandi causà animadvertere, sese subitò proripiunt; horà circiter sextà ejusdem diei, et spem nacti moræ discessu nostrorum equitum, iter facere incipiunt. Qua re animadversa, Cæsar eductis legionibus subséquitur, præsidio impedimentis paucas cohortes relinquit. Horà decimà súbsequi pabulatores, equitesque revocari jubet. Celèriter equitatus ad quotidianum itineris officium revértitur. Pugnatur acriter ad novissimum agmen, adeo ut pene terga convertant: compluresque milítes, etiam nonnulli centuriones in-

terficiuntur. Instabat agmen Cæsaris, atque universum imminebat.

2. Petreyo y Afranio hacen alto por necesidad en lugar nada ventajoso.—César pretende obligarlos á rendirse por falta de agua.—Mata el enemigo sus acémilas.

Tum verò neque ad explorandum idóneum locum castris, neque ad progrediendum data facultate, consistunt necesariò, et procul ab aqua, et naturà iniquo loco castra ponunt. Sed iisdem de causis Cæsar, quæ suprà sunt demonstratæ, prælio non lacessit, et eo die tabernacula statui passus non est; quò paratiores essent ad insequendum omnes, sive noctu, sive interdiu erumperent. Illi, animadverso vitio castrorum, tota nocte munitiones próferunt, castraque castris convertunt. Hoc idem póstero die à prima luce faciunt, totumque in ea re diem consumunt. Sed, quantum ópere processerant, et castra protulerant, tanto áberant ab aqua longiùs; et præsentí malo aliis malis remedia dabantur. Prima nocte aquandi causà nemo egréditur ex castris. Próximo die, præsidio in castris relicto, universas ad aquam copias educunt: pabulatum emititur nemo. His eos supplices malis Cæsar necessariam subire deditionem, quàm prælio decertare malebat. Conatur tamen eos vallo, fossaque circumvenire: ut quàm maximè repentinis eorum eruptiones demoretur, quò necesariò descensuros existimabat. Ibi et inopià pábuli adducti, et quò essent ad iter expeditiores, omnia sarcinaria jumenta interfici jubent. In his opéribus consiliisque biduum consumitur.

THEMA LXXXI.

4. Al tercer día colocan unos y otros sus tropas en órden de batalla.—Disposicion y órden de ambos ejércitos.—César no abandona su proyecto.—Retíranse por fin todos á sus reales sin pelear.

Tertio die magna jam pars óperis Cæsaris processe-
rat. Illi impediendæ rei causâ, horâ circiter octavâ
signo dato, legiones educunt, aciemque sub castris
instruunt. Cæsar ab ópere legiones révocat, equitatum
omnem convenire jubet; aciem instruit. Contra opinio-
nem enim militum famamque omnium videri præ-
lium diffugisse magnum detrimentum afferebat. Sed
eisdem de causis, quæ sunt cógnitæ, quominus dimi-
care vellet, movebatur: atque hoc etiam magis, quòd
spatii brevitás, etiam in fugam conjectis adversariis,
non multum ad summan victoriæ juvare póterat. Non
enim ampliùs pedum millibus duobus ab castris castra
distabant. Hinc duas partes acies occupabant. Tertia
vacabat ad incursum atque impetum militum relicta.
Si prælium committeretur, propinquitás castrorum cé-
lerem superatis ex fuga receptum dabat. Hac de causa
constitúerat signa inferéntibus resistere, prior prælio
non lacessere. Acies erat Afraniana duplex, legio
quinta et tertia; in subsidiis locum alariæ cohortes
obtenebant. Cæsaris triplex: sed primam aciem quater-
næ cohortes ex quinta legione tenebant: has subsidia-
riæ ternæ, et rursùs aliæ tótidem, suæ cujusque legio-
nis, subsequebantur. Sagittarii funditoresque media
continebantur acie. Equitatus látera cingebat. Tali

instructa acie, tenere uterque propósitum videbatur; Cæsar, ut nisi coactus, prælium non committeret; ille, ut ópera Cæsarís impediret. Produçitur tamen res; aciesque ad solis occasum continentur. Inde utrique in castra discedunt.

THEMA LXXXII.

1. Estrechado ya el enemigo por todas partes, y no pudiendo pasar el rio, pide parlamento.—Dada facultad, habla el primero á la vista de ambos ejércitos.

Póstero die munitiones institutas Cæsar parat perficere: illi vadum flúminis Sicoris tentare, si transire possent. Qua re animadversá, Cæsar Germanos levis armaturæ, equitumque partem flumen tránsjicit, crebrasque in ripis custodias disponit. Tandem ómnibus rebus obsessi, quartum jam diem sine pábulo retentis jumentis, aquæ, lignorum, frumenti inopiá, colloquium petunt, et id, si fieri possit, semoto à militibus loco. Ubi id à Cæsare negatum, et, palàm si cólloqui vellet, concessum est, datur óbsidis loco Cæsari filius Afranii. Venitur in eum locum, quem Cæsar déligit. Audiente utroque exército, lóquitur Afranius. «Non esse aut ipsi, aut militibus succensendum, quòd fidem erga imperatorem suum Cn. Pompejum conservare voluerint; sed satis jam fecisse officio, satisque supplicii tulisse, perperosos omnium rerum inopiam: nunc verò pene ut feras circummunitos prohiberi aquá, et egressu; neque córpore dolorem, neque ánimo ignominiam ferre posse: itaque se victos confiteri; orare, atque obsecrare, si quis locus misericordiæ relinquatur, ne

ad ultimum supplicium prògredi necesse habeant.»
«Hæc quam potest demississimè, atque subjectissimè
exponit.»

2. Cèsar responde refiriendo las injurias que se le habian
hecho, y sincerando su buena conducta.

«Ad ea Cæsar respondit: «Nulli omnium has partes
vel querimonîæ, vel miserationis minùs convenisse.
Rèliquos enim omnes suum officium præstitisse; se,
qui etiam bona conditione, et loco, et tempore æquo
confligere noluerit, ut quàm integerrima essent ad
pacem omnia: exercitum suum, qui, injuriâ etiam ac-
ceptâ, suisque interfectis, quos in sua potestate habuit,
conservarit, et tæxerit: illius dènique exercitùs milites,
qui per se de concilianda pace égerint, qua in re o-
mnium suorum vitæ consulendum putarunt. Sic o-
mnium órdinum partes in misericordia constitisse: ipsos
duces à pace abhorruisse: eos neque colloqui, neque
induciarum jura servasse; et homines imperitos, et
per colloquium deceptos, crudelissimè interfecisse. Ac-
cidisse igitur his, quod plerumque hominibus nimîa
pertinaciâ, atque arrogantiâ accidere soleat, uti eò
recurrant, et id cupidissimè petant, quod paullo ante
contèmpserint: neque nunc se illorum humilitate, ne-
que aliqua temporis opportunitate postulare, quibus
rebus augeantur opes suæ, sed eos exercitus, quos
contra se multos jam annos aluerint, velle dimitti.
Neque enim sex legiones alia de causa missas in Hi-
spaniam, séptimanque ibi conscriptam, neque tot, tan-
tasque classes paratas, neque submissos duces rei mi-

litaris peritos. Nihil horum ad pacandas Hispanias, nihil ad usum provinciæ provisum, quæ propter diuturnitatem pacis nullum auxilium desiderarit.»

THEMA LXXXIII.

4. Sigue la relacion de César, en que hace ver su paciencia en tolerar las injurias. Pide por último que los jefes dejen el mando y licencien su ejército.

«Omnia hæc jampridem contra se parari; in se novi generis imperia constitui, ut idem ad portas urbanis præsideat rebus, et duas bellicosissimas provincias absens tot annos obtineat: in se jura magistratuum commutari; ne ex prætura, et consulatu, ut semper, sed per paucos probati, et electi in provincias mittantur: in se ætatis excusationem nihil valere, quod superioribus bellis probati, ad obtinendos exercitus evocentur: in se uno non servari, quod sit omnibus datum semper imperatoribus, ut rebus feliciter gestis, aut cum honore aliquo, aut certe sine ignominia domum revertantur, exercitumque dimittant. Quæ tamen omnia et se tulisse patienter, et esse laturum: neque nunc id agere, ut ab illis abductum exercitum teneat ipse, quod tamen sibi difficile non sit; sed, ne illi habeant, quo contra se uti possint; proinde, ut esset dictum, provinciis excederent, exercitumque dimitterent. Si id sit factum, nociturum se nemini. Hanc unam atque extremam pacis esse conditionem.» Id verò militibus fuit pergratum et jucundum (ut ex ipsa significatione potuit cognosci), ut qui aliquid victi incommodi expectavissent, ultrò præmium missionis fer-

rent. Nam quum de loco, et tēpore ejus rei controversia inferretur, et voce, et mánibus universi ex vallo, ubi constiterant, significare cōperunt, ut statim dimitterentur: neque omni interpósita fide firmum esse posse, si in aliud tempus differretur.

2.) Termínanse las diferencias despidiendo á continuacion parte de las tropas, y el resto junto al rio Varo.

Paucis quum esset in utramque partem verbis disputatum, res dedúcitur, ut ii, qui hábeant domicilium, aut possessiones in Hispania, statim; réliqui ad Varum flumen dimittantur. Ne quid eis noceretur, neve quis invitus sacramentum dicere cogeretur, à Cæsare caveatur. Cæsar ex eo tēpore, dum ad flumen Varum veniatur, se frumentum daturum pollicetur. Addit etiam, «si quid quisque eorum in bello amiserit, quæ sint penes milites suos, iis, qui amiserint, restituatur; militibus, æqua facta æstimatione, pecuniam pro iis rebus solvit.» Quascumque postea controversias inter se milites habúerant, sua sponte ad Cæsarem in jus adierunt. Petrejus atque Afranius, quum stipendium ab legiónibus penè seditione facta flagitaretur, cujus illi diem nondum venisse dicerent, Cæsar ut cognósceret, pósulant; eoque utrique, quod statuit, contenti fuerunt. Parte circiter tertià exercitús eo biduo dimissá, legiones suas antécedere, reliquas súbsequi jussit, ut non longo inter se spatio castra fácerent: eique negotio Q. Fusium Calenum legatum præfecit. Hoc ejus præscripto ex Hispania ad Varum flumen est iter factum, atque ibi réliqua pars exercitús dimissa.

CARTAS

ESCOJIDAS DE M. T. CICERON SOBRE VARIOS ASUNTOS.

THEMA LXXXIV.

1. Ciceron habla sobre las cartas y acerca de Volumnia.

M. T. C. Teréntiæ suæ S. D.

Si vales, benè est: ego váleo. Etsi ejúsmodi témpora nostra sunt, ut nihil hábeam, quod aut à te literarum expectem, aut ipse ad te scribam: tamèn nescio quomodò et ipse vestras literas expecto, et scribo ad vos, quum hábeo, qui ferat. Volúmnia débuit in te officiósior esse, quàm fuit, et id ipsum, quod fecit, pótuít diligentiùs fácere et cautiùs. Quamquàm ália sunt, quæ magis curemus, magisque doleamus: quæ me itá conficiunt, ut ii voluerunt, qui me de meà senténtia detruserunt. Cura, ut váleas. Pridie Nonas Januarias.

2. Da el parabien á Marcelo por su consulado.

M. T. C. Procós. Marcello Cós. Des. S. D.

Maximá sum lætitia affectus, quum audiui, te cónsulem factum esse: eumque honorem tibi Deos fortu-

nare volo, atquè à te pro tuà, paréntisque tui dignitate administrari. Nam cùm te sempèr dilexi, amavi-que, quòd mei amantissimum cognovi in omni varietate rerum mearum; tùm patris tui plùribus beneficiis, vel defensus trístibus tempóribus, vel ornatus secundis; necesse est, ut et sim totus vester, et esse débeam: quum præsertim matris tuæ, gravissimæ atquè optimæ fæminæ, majora ergà salutem dignitatemque meam stùdia, quàm erant à muliere postulanda, perspéxerim. Quaproptèr à te peto majorem in modum, ut me absentem diligas, atquè defendas. Vale.

THEMA LXXXV.

1. Recomienda á Hagesareto breve, pero eficazmente.

M. T. C. Sulpicio S. D.

Hagesaretus Larissæus, magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor et gratus fuit, meque postea diligentissimè còluit. Eum tibi magnoperè commendo, ut et hóspitem, et familiarem meum, et gratum hóminem, et virum bonum, et príncipem civitatis suæ, et tuà necessitùdine dignissimum. Pergratum mihi féceris, si déderis óperam, ut is intèlligat, hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

2. Pide que defienda á Mario Curio de toda vejacion y molestia.

M. T. C. Aucto Procós. S. D.

Sumpsi hoc mihi pro tuà in me observántia, quam

penitus perspexi, quamdiù Brundúsii fuimus, ut ad te familiaritèr, et quasi pro meo jure scriberem, si qua res esset, de qua valdè laboràrem. M. Cúrius, qui Patris negotiatur, ità mihi familiaris est, ut nihil possit esse conjunctius. Multa illius in me officia; multa in illum mea: quodque máximum est, summus intèr nos amor, et mútuus. Quæ quum ità sint, si ullam in amicitia mea spem habes; si ea, quæ in me officia, et stúdia Brundúsii contulisti, vis mihi étiam gratiora efficere, quamquàm sunt gratíssima; si me à tuis ómnibus amari vides; hoc mihi da, atquè largire, ut M. Cúrium sartum et tectum, ut ajunt, ab omnique incómodo, detrimento, moléstia sincerum, integrumque conserves. Et ipse spóndeó, et omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia, et ex tuo in me officio maximum te fructum, summanque voluptatem esse capturum. Vale.

THEMA LXXXVI.

4. Recomienda á Fabio por sus excelentes cualidades.

Cícero imp. S. D. Cœlio ædili curuli.

Marco Fábio, viro óptimo et hómine doctíssimo, familiarissimè utor: mirificèquè eum diligo, cùm propter summum ejus ingénium summamque doctrinam, tùm proptèr singularem modéstiam; ejus negótium sic velim suscipias, ut si esset res mea; novi ego vos magnos patronos. Hóminem occidat opórtet, qui vestrà ópera uti velit. Sed in hoc hómine nullam accipio excusationem. Omnia relinques, si me amabis, quum tuá

opérâ Fábïus uti volet. Ego res Romanas vehementer expecto et desidero: imprimisque quid agas, scire cunio: nam jamdiu propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur.

2. Exhorta á Planco á sufrir con valor la desgracia comun.

Cícero S. D. Plancio.

Accepi perbreves tuas literas quibus id, quod scire cupiebam, cognoscere non pótui: cognóvi autem id, quod mihi dubium non fuit, nam quam fortiter ferres communes misérias, non intellexi: quàm me amares, facìle perspexi: sed hoc sciebam; illud si scissem, ad id meas literas accommodassem. Sed tamen etsi antea scripsi, quæ existimavi te scire oportere; tamen hoc tēpore breviter commonendum putavi, ne quo periculo te próprio existimares esse; in magno omnes, sed tamen in communi sumus. Quarè non debes aut propriam fortunam, et præcipuam postulare, aut communem recusare. Quapropter eo ánimo simus inter nos, quo semper fuimus: quod de te sperare, de me præstare possum. Vale.

THEMA LXXXVII.

1. Pide á Trebacio que le escriba, y aconseja que no se apresure en ir á Roma.

M. T. C. Trebátio. S. D.

Jamdiu ignoro, quid agas, nihil enim scribis. Neque ego ad te his duobus mēsis scripseram, quia cum Quinto, fratre meo, non eras; quò mitterem, aut cui

darem, nesciebam. Cúpio scire, quid agas, et ubi sis hiematurus: equidè velim cum Cæsare; sed ad eum propter ejus occupationes nihil sum ausus scribere; ad Balbum tamen scripsi. Tu tibi deesse noli; seriùs potiùs ad nos, dum plénior: quòd huc próperes, nihil est, præsertim Vacerra mórtuo: sed tibi consilium non deest: quid constitúeris, cúpio scire. Cn. Octávius, an Cn. Cornélius, tuus quidè familiaris, summo génere natus, terræ filius, is me, quia scit tuum familiarem esse, crebrò ad cœnam invitat. Adhuc non pótuit perducere; sed mihi tamen gratum est. Vale.

2. Procura sincerarse con Planco de no haber asistido al Senado para tratar su causa; y le ofrece sus servicios en las cosas que exijan su presencia.

M. T. C. Planco Imp. Cons. D. S. D.

Meum stúdiùm honori tuo pro necessitúdine nostra non defuisset, si aut tutò in Senatum, aut honestè venire potuissem. Sed nec sine perículo quisquam, liberè de república séntiens, versari potest in summa impunitate gladiatorum: nec nostræ dignitatis videtur esse, ibi senténtiam de república dicere, ubi me et meliùs, et propiùs áudiant armati, quàm senatores. Quaproptèr in privatis rebus nullum neque officium, neque stúdiùm meum desiderabis; ne in públicis quidè. Si quid erit, in quo me interesse sit necesse, nunquàm déero, ne cum perículo quidè meo, dignitati tuæ. In iis autèm rebus, quæ nihilominùs, ut ego absim, cónfici possunt, peto à te, ut mei rationem habere velis, et salutis, et dignitatis meæ. Vale.

THEMA LXXXVIII.

1. Recomienda Ciceron á Lucio Cosinio Liberto.

M. T. C. Sulpicio S. D.

Lucio Cossinio, amico, et tribuli meo valdè familiaritèr utor. Nam et intèr nosmetipsos vetus usus intercedit, et Atticus noster majorem etià mihi cum Cossinio consuetudinem fecit: itaque tota Cossinii domus me diligit, imprimisque libertus ejus L. Cossinius Anchialus, homo et patrono, et patroni necessariis, quo in número ego sum, probatissimus. Hunc tibi ità commendo, ut si meus libertus esset, eodemque apud me loco esset, quo et est apud patronum suum, majore stúdio commendare non possem. Quarè pergratum mihi féceris, si eum in amicitiam tuam recéperis; atque eum, quod sine moléstia tua fiat, si qua in re opus ei fúerit, júveris. Id et mihi vehementèr gratum erit, et tibi postea jucundum. Hóminem enim summá probitate, humanitate, observántiaque cognosces. Vale.

2. Recomienda á Lucio Manlio sobre la herencia fraterna, y otros negocios.

M. T. C. Acilio Procós. S. D.

Lucius Mánlius est Sosis: is fuit Catinensis; sed est unà cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decúrioque Neápoli: erat enim adscriptus in id municipium antè civitatem sóciis, et Latinis datam. Ejus frater Catinæ nupèr mórtuus est; nullam omninò arbitramur de ea hæreditate controversiam cum habitu-

rum: et est hodiè in bonis: sed quandò habet prætereà negotia vètera in Sicília sua, et hanc hæreditatem fraternali, et ómnia ejus tibi commendo: in primisque ipsum, virum óptimum, mihiq; familiaríssimum, his stúdiis literarum, doctrinæque præditum, quibus ego maximè delector. Peto igitúr abs te, ut eum sive áderit, sive non vénerit, in Sicíliam, in meis íntimis, maximèque necessáriis scias esse: itaq; tractes, ut intél- ligat, meam commendationem sibi magno adjumento fuisse. Vale.

THEMA LXXXIX.

1. Da gracias á Termo, por haber tratado liberalmente á Marcilio: pide despues ponga cuidado, en que la suegra no salga responsable por este.

M. T. C. Thermo Propæret. S. D.

Cùm mihi multa grata sunt, quæ tu adductus meà commendatione fecisti, tùm in primis, quòd M. Marcilium amici atque intérpretis mei filium liberalissimè tractavisti. Venit enim Laodiceam, et tibi apud me, mihiq; propter te grátias máximas egit. Quarè, quod réliquum est, à te peto, quandò apud gratos hómines beneficium ponis, ut eò libentiùs his cómmodes, óperamque des, quoàd fides tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne fiat. Ego cùm antea studiosè commendabam Marcilium, tùm multò nunc studiosiùs, quòd in longa apparitione singularem, et propè incredibilem patris Marcilii fidem, abstinéntiam modéstiamque cognovi. Vale.

2. Da primero las gracias á Sulpicio por su fina voluntad para con Atico, y despues le recomienda sus negocios.

M. T. C. Sulpicio S. D.

Non concedam, ut Attico nostro, quem elatum lætitia vidi, jucundiores tuæ suāvissimè ad eum, et humanissimè scriptæ literæ fúerint, quàm mihi. Nam etsi utrique nostrum propè æquè gratæ erant; tamèn ego admirabar magis, te, quasi rogatus, aut certè ad-mónitus liberalitèr Attico respondisses, (quod tamèn dúbium nobis, quin ità futurum fúerit, non erat) ultrò ad eum scripsisse, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per literas detulisse. De quo non modò rogare te, ut eò studiosiùs meā quoquè cāusā fācias, non débeo (nihil enim cumulatius fieri potest, quàm polliceris) sed ne grātias quidèm āgere, quod tu et ip-sius causā, et tuā sponte fēceris. Illud tamèn dicam, mihi id, quod fecisti, esse gratissimum. Tale enim tuum iudiciū de hómīne eo, quem ego unicè diligo, non potest mihi non summè esse jucundum. Quod quum ità sit, esse gratum necesse est. Sed tamèn quandò mihi, pro conjunctione nostra, vel peccare apud te in scribendo licet; utrumque eorum, quæ ne-gavi mihi faciēda esse, fāciam. Nam et ad id, quod Attici cāusā te ostendisti esse facturum, tantum velim addas, quantum ex nostro amore accessionis fieri po- test: et, quod modò verebar, tibi grātias āgere, nunc planè ago: teque ità existimare volo, quibuscumque officiis in Epiróticis rēliquisque rebus Atticum obstrin-xeris, iisdem me tibi obligatum fore. Vale.

THEMA XC.

1 Da gracias al cónsul Marcelo por las consideraciones que le ha merecido.

M. T. C. Imp. C. Marcel Cós. S. D.

Quantæ tibi curæ meus honos fúerit, et quàm idem extiteris consul in me ornando et amplificando, qui fúeras sempèr cum paréntibus tuis, et cum totâ domo, etsi res ipsa loquebatur, cognovi tamen ex meorum ómnium litéris. Itaquè nihil est tantum, quod ego non tuâ causâ débeam, facturusque sim cum studiosè, tum libentèr. Nam magni interest, cui débeas. Debere autèm némiui malui, quàm tibi; cui me cum stúdia commúnia, beneficia paterna tuaque jam antè conjúnxerant; tum accedit, meâ quidèm senténtiâ máximum vinculum, quòd ità rempúblicam geris, atquè gessisti, quâ mihi carius nihil est, ut quántum tibi omnes boni débeant, quò minùs tantumdem ego unus débeam, non recusem. Quamobrem tibi velim ii sint éxitus, quos mereris, et quos fore confido. Ego, si me navigátio non morábitur, quæ incurrebat in ipsos Etéasias, propedièm te, ut spero, videbo. Vale.

2. Felicita á L. Paulo por el consulado; y le pide que procure no se le alargue el tiempo de su gobierno.

M. T. C. Imp. L. Paulo Cós. Des. S. D.

Etsi mihi numquàm fuit dúbium, quin te pópulus Rom. pro tuis summis in rempúblicam méritis, et pro

amplissimâ familiæ dignitate, summo stúdio, cunctis suffrâgiis cónsulem facturus esset; tamèn incredibili lætítia sum affectus, quum id mihi nuntiatum est: eumque honorem tibi deos fortunare volo, à teque ex tuâ majorumque tuorum dignitate administrari. Atque utinàm præsens illum diem mihi optatissimum videre potuissem, proque tuis amplissimis ergà me stúdiis atque beneficiis tibi óperam meam, stúdiúmque navare. Quam mihi facultatem quandò híc nec opinatus, et improvisus provinciæ casus eripuit; tamen, ut te cónsulem rempúblicam pro tuâ dignitate gerentem videre possim, magnoperè à te peto, ut óperam des, efficias, ne quid mihi fiat injúriæ, neve quid témporis ad meum annuum munus accedat. Quod si féceris, magnus ad tua pristina ergà me stúdia cúmulus accedet. Vale.

THEMA XCI.

1 Expone á Tiron el riesgo de ponerse en camino despues de una grave enfermedad; y le pide que prosiga aplicándose al estudio.

Túllius Tironi S. D.

Ego verò cupio te ad me venire, sed viam timeo; gravissimè ægotasti: inedia et purgationibus, et vi ipsius morbi consumptus es. Graves solent offensiones esse ex gravibus morbis, si qua culpa commissa est. Jam ad id biduum, quod fúeris in via, dum in Cumani venis, accedent continuò ad réditum dies quinque. Ego in Formiano ad III. Calendas esse volo. Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, éffice. Litérulæ meæ,

sive nostræ tui desidério oblanguerunt; hac tamen epístola, quam Acastus áttulit, óculos paulùm sustulerunt. Pompejus erat apud me, quum hæc scribebam, hilarè, et libentè: ei cupienti audire nostra, dixi, sine te omnia mea muta esse. Tu musis nostris para, ut óperas reddas. Nostra ad diem dictam fient: dócu enim te fides quam etymologiam haberet. Fac planè ut váleas: nos ad summum. Vale. XIV. Calendas Jan.

2. Consuela con prudentes reflexiones á Fabio por la pena de destierro, á que habia sido condenado, y le ofrece su fina voluntad.

M. T. C. T. Fábio S. D.

Etsi egomet, qui te consolari cûpio, consolandus ipse sum, proptereà quòd nullam rem graviùs jamdiù tuli, quàm incómodum tuum; tamen te magnopere non hortor solùm, sed étiam pro amore nostro rogo atquè oro, te cólligas, virumque præbeas; et qua conditione omnes hómines, et quibus temporibus nati sumus, cógites. Plus tibi virtus tua dedit, quàm fortuna abstulit; proptereà quòd adeptus es, quòd non multi hómines nóvi: amisisti, quòd plúrimi hómines nobilissimi. Ea deniquè videtur conditio impendere legum, judiciorum, téporum, ut optimè actum cum eo videatur esse, qui quàm levíssima pœna ab hac repúb. discésserit. Tu verò, qui et fortunas et liberos hábeas, et nos cæterosque necessitúdine et benevoléntia tecum conjunctissimos; quiquè magnam facultatem sis habiturus nobiscum et cum ómnibus tuis vivendi; et quum

unum sit iudicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod unâ sententiâ, eâque dubiâ, potentiâ aliqujus condonatum existimetur; ómnibus his de causis debes istam moléstiam quàm levissimè ferre. Meus ánimus erit in te, liberosque tuos sempèr, quem tu esse vis, et qui esse debet. Vale.

THEMA XCII.

1. Consuela á Léntulo comparando los infortunios del destierro y vuelta á Roma, y dice ser breve la carta, puesto que Polion le diría lo demás de palabra.

Cícero S. D. Léntulo.

Quæ gerantur, accípies ex Pollione, qui ómnibus negótiis non intérfuit solùm, sed præfuit. Me in summo dolore, quem in tuis rebus cæpio, maximè scilicèt consolatur spes, quòd valde súspicor fore, ut infringatur hóminum impróbitas, et consiliis tuorum amicorum, et ipsa die, quâ debilitantur cogitationes et inimicorum, et proditorum. Fácilè secúndo loco me consolatur recordátio meorum témporum, quorum imáginem vídeo in rebus tuis; nam, etsi minore in re violatur tua dignitas, quàm mea salus afflicta sit; tamen est tanta similitudo, ut sperem te mihi ignóscere, si ea non tímuerim, quæ ne tu quidèm unquàm timenda duxísti. Sed præsta te eum, qui mihi à téneris, ut Græci dicunt, unguículis es cógnitus. Illustrabit, mihi crede, tuam amplitúdinem hóminum injúria. A me ómnia summa in te stúdia officiaque expecta; non fallam opinionem tuam. Vale.

2. Felicita á Curion por estar ausente de Roma, donde las cosas marchaban mal; y hallarse en punto donde podia merecer alabanzas por sus hazañas. Le aconseja en fin que se prepare para salvar la república.

Cícero S. D. Curioni.

Hæc negótia quomodò se hábeant, ne epistolâ quidem áudeo narrare tibi; etsi, ubicumquè es (ut scripsi ad te antea) in eâdem es navi: tamèn, quòd abes, grátulor: vel quia non vides ea, quæ nos, vel quòd excelso et illustri loco sita sit laus tua in plurimorum et sociorum et civium conspectu: quæ ad nos nec obscuro nec vário sermone, sed et clarissima et una ómnium voce perfertur. Unum illud nésceo, grátulor ne tibi, an timeam, quòd mirábilis est expectátio réditus tui; non quòd vérear, ne tua virtus opinioni hóminum non respóndeat; sed meherculè, ne quum véneris, non hábeas jam quod cures: ita sunt ómnia debilitata jam et propè extincta. Sed hæc ipsa, nésceo, rectè ne sint líteris commissa: quare cætera cognosces ex aliis. Tu tamen, sive habes áliquam spem de rep. sive desperas, ea para, meditare, cógita, quæ esse in eo cive ac viro debent, qui sit remp. afflictam et oppressam miseris tempóribus, ac pérditis móribus, in véterem dignitatem ac libertatem vindicaturus. Vale.

THEMA XCIII.

4. Reprende el descuido de Lépido en dar las gracias al

Senado, que tanto le habia honrado: y le aconseja que no intervenga en el arreglo de una paz incierta.

M. T. C. M Lépidó S. D.

Quod mihi pro mea summa ergà te benevoléntia magnæ curæ est, ut quàm amplissima dignitate sis; molestè tuli, te senátui grátias non egisse, quum esses ab eo órdine ornatus summis honóribus. Pacis inter cives conciliandæ te cùpidum esse lætor. Pacem eam si à servitute sejúngis, cónsules et reipúblicæ et dignitati tuæ; sin ista pax pérditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est; hoc ánimo scito esse omnes sanos, ut mortem servituti anteponant. Itaque sapientiùs, meo quidèm iudicio, fácies, si te in istam pacificationem non interpones: quæ nequè senátui, nequè pópulo, nequè cuiquam bono probatur. Sed hæc áudies ex aliis, aut cértior fies literis. Tu pro tua prudéntia, quid óptimum factu sit, videbis.

2. Recomienda muy eficazmente á A. Cecina.

M. T. C. Furfano procós. S. D.

Cum A. Cæcinna tanta mihi familiáritas, consuetudoque sempèr fuit, ut nulla major esse possit. Nam et patre ejus, claro hómine, et forti viro, plurimùm usi sumus; et hunc à púero, quòd et spem mihi magnam afferebat summæ probitatis summæque eloquéntiæ, et vivebat mecum conjunctissimè, non solùm officiis amicitiae, sed étiam stúdiis eommúnibus, sic sempèr dilexi, ut non ullo cum hómine conjunctiùs viverem. Nihil áttinet me plura scribere: quàm mihi necesse sit

ejus salutem et fortunas, quibuscumque rebus possim, tueri, vides. Rēliquum est, ut, quum cognōrim plūribus rebus, quid tu et de honorum fortuna et de reipublicæ calamitatibus sentires, nihil à te petam, nisi ut ad eam voluntatem, quam tua sponte ergà Cæcinnam habiturus esses, tantus cūmulus accedat commendatione mea, quanti me à te fieri intēlligo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

THEMA XCIV.

1. Da las gracias de su parte y en nombre de Pompeyo, por haber tratado bien á Luceyo: y lo recomienda por segunda vez.

M. T. C. Culléolo S. D.

Quæ fecisti L. Luccēji causā, scire te planè volo, te hōmini gratissimo commodasse: et cū ipsi, quæ fecisti, pergrata sunt; tūm Pompejus, quotiescumquē me videt, (videt autē sæpissimē) grātias tibi agit singulares. Addo etiā illud, quod tibi jucundissimum esse certò scio, me ipsum ex tua ergà Lucejum benignitate máxima voluptate affici. Quod superest, quanquā mihi non est dūbium, quin cū antea nostrā causā, nūc jam etiā tæ constantiæ grātiā mansuras sis in eādē istā liberalitate: tamen abs te vehementer etiā atque etiā peto, ut ea, quæ initio ostendisti, deindeque fecisti, etiā ad exitum augeri et cumulari per te velis. Id et Lucejo et Pompejo valdè gratum fore, teque apud eos præclare positurum, confirmo et spōndeo. De república, deque his negotiis cogitationibusque nostris perscripseram ad te diligen-

tèr paucis antè diebus, easque literas dèderam pùeris tuis. Vale.

2. Pide á Termo que le envie á su Lugarteniente Aneyo, y le recomienda en su negocio.

M. T. C. Thermo Propr. S. D.

Quò magis quotidie ex literis, nùntiisque bellum magnum esse in Syria cognosco, eò vehementèr à te pro nostrà necessitudìne contendo, ut mihi M. Annejū legatum primo quoque tempore remittas. Nam ejus opèrà, consilio, scientià rei militaris vel maximè intèllico, me et rempùblicam adjuvari posse: quòd nisi tanta res ejus ageretur; nec ipse adduci potuisset, ut à me discèderet. nequè ego, ut eum à me dimitterem. Ego in Ciliciam proficisci cògito circitèr Calend. Majas. Ante eam diem Annejus ad me rédeat, oportet. Illud, quod tecum et coràm et per literas diligentissimè egi, id et nunc etià atque etià rogo, curæ tibi sit, ut suum negotium, quod habet cum pòpulo Sardiàno, procausæ veritate et pro suà dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, quum tecum Ephesi locutus sum, te ipsius Annèji causà omnia velle: sed tamèn sic velim existimes, te mihi nihil gratius fàcere posse, quàm si intellèxero, per te illum ipsum negotium ex sentèntia confecisse. Idque quàm primùm ut efficias, te etià atque etià rogo. Vale.

THEMA XCV.

4. Pide reciba en su amistad á Demócrito Sicionio.

M. T. C. Allieno Procós. S. D.

Demócritus Sicyónius non solúm hospes meus est, sed étiam, quod non multis contingit, Græcis præsertim, valdè familiaris. Est enim in eo summa próbitas, summa virtus, summa in hóspités liberá-litas et observantia: meque præ cæteris et colit, et observat et diligit. Eum tu non modò suorum civium, verùm étiam propè Achajæ principem cognosces. Huic ego tantummodò áditum ad tuam cognitio-nem patefácio et múnio. Cógnum per te ipsum, quæ tua natura est, dignum tuà amicitia, atque hospítio judicabis. Peto igitùr à te, ut, his líteris lectis, reci-pias eum in tuam fidem: polliceare ómnia te facturum meà causà. De réliquo, si id, quod confido fore, di-gnum eum tuà amicitia, hospítioque cognóveris; peto, ut eum complectare, diligas, in tuis hábeas. Erit id mihi majorem in modum gratum. Vale.

2. Le da el parabien del indulto de volver á la pátria: ex-hórtale á olvidar lo pasado, y que anteponga su dignidad á la hacienda.

M. T. C. Trebatio S. D.

Dolabellam antea tantummodò dilegebam; obligatus ei nihil eram. Nec enim acciderat mihi opus esse: et ille mihi debebat, quòd non defúeram ejus perículis. Nunc tantò sum devinctus ejus beneficio, quòd et

anteà in re, et hoc t  mpore in salute tua cumulatissim   mihi satisfecit, ut n  mini plus d  beam. Qua in re tibi gr  tulari it   vehement  r, ut te quoque mihi gratulari, qu  m gr  tias   gere, malim:   lterum omnino non des  dero;   lterum ver   facere poteris. Quod reliquum est, quando tibi virtus et dignitas tua r  ditum ad tuos aperuit, est tu   sapient  i  , magnitudinisque   nimi, quid amiseris, oblivisci: quid recuper  veris, cogitare. Vives cum tuis, vives nobiscum; plus acquisivisti dignitatis, qu  m amisisti rei familiaris: qu   ipsa tum esset jucundior, si ulla res esset p  blica. Nest  rius noster familiaris ad me scripsit, te mihi m  ximas gr  tias   gere. H  c pr  dicatio tua mihi vald   grata est: e  que te uti facili   patior c  m apud alios, t  m mehercul   apud Sironem nostrum amicum. Qu   enim facimus, ea prudentissim   cuique maxim   probata esse v  lumus. Te c  pio videre quamprim  m. Vale.

THEMA XCVI.

1. Ciceron advierte con gracia la malicia de Peto, que pretende hospedarle con franqueza, y sin grande aparato.

M. T. C. Papirio P  eto S. D.

Tamen    malitia non discedis: tenuiculo apparatus significas Balbum fuisse contentum. Hoc videris dicere quum reges tam sint continentes, mult   magis consulares esse oportere. Nescis me ab illo   mnia expiscatum: rect   enim    porta domum meam venisse. Nequ   hoc admiror qu  d non ad tuam potius, sed

illud, quòd nec ad suam: ego autèm tribus primis verbis: quid noster Pætus? At ille adjurans; nusquàm se unquàm libentiùs. Hoc si verbis assecutus es, àures ad te àfferam non minùs elegantes: sin autèm obsónio, peto à te, nè pluris esse Balbos, quàm disertos putes. Me quotidiè áliud ex álio impedit: sed si me expediero, ut in ista loca venire possim, non committam, ut te serò à me certiore factum putes. Vale.

2. Pide á Planco que le hable sobre la fidelidad y opinion de Lépidò; y le exhòrta á concluir del todo la guerra.

M. T. C. Planco S. D.

Ita erant ómnia, quæ is inc afferebantur, incerta, ut, quid ad te scriberem, non occurreret; modò enim, quæ vellemus, de Lépidò, modò contrà nuntiabantur. De te tamèn constans fama, nec decipi posse, nec vinci: quorum altèrius fortuna partem habet quamdam; álterum próprium est prudèntiæ tuæ. Sed accipi literas á collega tuo datas idibus Maji, in quibus erat, te ad se scripsisse, à Lépidò non récipi Antónium: quod erit certius, si tu ad nos idem scripseris. Sed minùs audes fortassè proptèr inanem lætitiàm literarum superiorum. Verùm ut errare, mi Plance, potuisti; (quis enim id effúgerit?) sic, decipi te non potuisse, quis non videt? Nunc verò étiam erroris causa sublata est. Culpa enim illa, bis ad eundem, vulgari reprehensa provèrbio est. Sin, ut scripsisti ad collegam, ità se res habet, omni cura liberati sumus; nec tamen érimus priùs, quàm ita esse, tu nos feceris certiores. Mea quidèm, ut ad te sæpiùs scripsi, hæc sentén-

tia est: qui reliquias hujus belli opprèsserit, eum totiusbelli confectorem fore: quem te et opto esse, et confido futurum. Stúdia mea erga te, quibus certè nulla esse majora potuerunt, tibi tàm grata esse, quàm ego putavi fore, minimè miror, vehementèrque lætor: quæ quidè'm tu si rectè istic erit, majora et graviora cognoscēs. IV. Cal. Jun.

THEMA XCVII.

1. Escribe sobre el decreto del senado para aumentar la dignidad de Planco; y le exhorta á que ponga fin á la guerra de Antonio.

M. T. C. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

Ut primùm potestas data est augendæ dignitatis tuæ, nihil prætermisi in te ornando, quod pòsitum esset aut in præmio virtutis, aut in honore verborum. Id ex ipso senatùs consulto pòteris cognòscere: ità enim est perscriptum, ut à me de scripto dicta senténtia est, quam senatus frèquens secutus est summo stúdio magnoque consensu. Ego, quamquàm ex tuis literis, quas mihi misisti, perspéxeram, te magis judicio bonorum, quàm insígnibus glóriæ delectari; tamèn considerandum nobis existimavi, etiam si tu nihil postulares, quantum tibi à repúblicā deberetur. Tu contexes extrema cum primis. Qui enim M. Antónium oppresserit, is bellum confécerit. Itaquè Homerus non Ajacem, nec Achillem, sed Ulyssem appellavit. Vale.

2. Manifiesta haberle sido muy grata la accion de gracias

de Planco, y le aconseja se dedique á extinguir las reliquias de la guerra.

M. T. C. Planco Imp. S. D.

Quanquàm gratiarum actionem à te non desiderabam, quum te re ipsa atquè ánimo scirem esse gratissimum; tamèn (fatendum est enim) fuit ea mihi perjucunda; sic enim vidi, quasi ea, quæ óculis cernuntur, me à te amari. Dices: quid antea? Sempèr quidèm, sed numquàm illustrius. Litéræ tuæ mirabilitèr gratae sunt senátui, cùm rebus ipsis, quæ erant gravissimæ et máximæ; fortíssimi ánimo summique consilii; tùm étiam gravitate sententiarum, atquè verborum. Sed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. In hoc erit summa et grátia et glória. Cúpio ómnia reipúblicæ causá. Sed meherculè, in ea conservanda jam defatigatus, non multò plùs fáveo pátriæ, quàm tuæ glóriæ, cujus máximam facultatem tibi Dii immortales, ut spero, dedere: quam complectere, óbsecro; qui enim Antónium opprèsserit, is hoc tetérrimum bellum periculosíssimumque confécèrit. Valè.

THEMA XCVIII.

1. Ciceron pide á Bruto, que cuide en cuanto esté de su parte exigir el dinero que Cornelio debia á Estrabon.

M. T. C. Bruto S. D.

Lucio Titio Strabone, équite Romano in primis honesto, et ornato, familiarissimè utor: ómnia mihi cum eo intercedunt jura summæ necessitúdinis. Huic in tua província pecúniám debet P. Cornélius. Ea res á

Volcátio, qui Romæ jus dicit, rejecta in Gálliam est. Peto à te hoc diligentius, quàm si mea res esset, quò est honestius de amicorum pecúnia laborare, quàm de suà, ut negótium conficiendum cures, ipse suscipias, tránsigas: óperamque des, quod tibi æquum et rectum vidébitur, ut quàm commodissima conditione libertus Strabonis, qui ejus rei causà missus est, negótium conficiat, ad nummosque pervéniat. Id et mihi gratis-simum erit: et tu ipse L. Titium cognosces amicitia tuà digníssimum; quod ut tibi curæ sit, ut ómnia so-lent esse, quæ me velle scis, te vehementèr étiam at-què étiam rogo. Vale.

2. Recomienda encarecidamente á Marco Lenio.

M. T. C. Silio Propræt. S. D.

Non putavi fieri posse, ut mihi verba deesent, sed tamen in M. Lænio commendando desunt. Itaque rem tibi exponam páucis verbis, sed tamen ut planè perspicere possis voluntatem meam. Incredibile est, quanti faciamus et ego et frater meus, qui mihi cha-ríssimus est, M. Lænium. Id fit cùm plúrimis ejus of-ficiis, tùm summà probitate et singulari modéstia. Eum ego à me invitíssimus dimisi, tùm proptèr familiarita-tem et consuetúdinis suavitatem, tùm quòd consilio ejus fideli ac bono libentèr utebar. Sed véreor, ne jam mihi superesse verba putes, quæ dixeram defutura. Commendo tibi hóminem, sicut intéllegis me, de quo ea suprà scrípserim, debere commendare: á teque ve-herentèr étiam atque étiam peto, ut, quod habet in tua província negótii, expédias: quod tibi vidébitur

rectum esse, ipsi dicas. Hóminem facillimum, liberalissimumque cognosces. Itaque te rogo, ut eum solutum, liberum, confectis ejus negotiis per te, quamprimum ad me remittas. Id mihi fratrique meo gratissimum féceris. Vale.

THEMA XCIX.

1. Recomienda á Andron Laodicense, hijo de Artemon.

M. T. C. Servilio S. D.

Ex provincia mea Ciliciensi, cui scis administrationes Asiáticas attributas fuisse, nullo sum familiarius usus, quàm Androne, Arthemonis filio, Laodicensi: eumque hábui in ea civitate tùm hóspitem, tùm vehementèr ad meæ vitæ rationem et consuetúdinem accommodatum: quem quidè m multò étiam pluris, posteaquam decessi, fácere cœpi, quòd multis rebus expertus sum gratum hóminem, meique mémorem. Itaque eum Romæ libentissimè vidi. Non te enim fugit, qui plúrimis in ista provincia benignè fecisti, quàm multi grati reperiantur. Hæc proptereà scripsi, ut me non sine causa laborare intelligeres, et ut tu ipse eum dignum hospitio tuo judicares. Féceris igitur mihi gratissimum, si ei declarâris, quanti me fácias; id est si recéperis eum in fidem tuam, et quibuscumque rebus honestè, ac sine moléstia tua póteris, adjúveris. Hoc mihi vehementer erit gratum. Idque ut fácias, te étiam atque étiam rogo. Vale.

2. Ruega á su esposa é hija, que mediten entre sí, y con los amigos, si han de salir de Roma á la venida del Cèsar.

Túllius Teréntiæ, et Pater Tulliollæ, duabus ánimis suis; et Cícero matri óptimæ, et suavissimæ sorori S. D.

Si vos valetis, nos valemus. Vestrum jam consílium est, non solùm meum, quid sit vobis faciendum. Si ille Romam modestè venturus est, rectè in præsentia domi esse potestis: sin homo amens diripiendam urbem daturus est; véreor, ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit. Etiam illud métno, ne jam intercludámini, ut, quum velitis, exire non liceat. Réli-quum est, quod ipsæ optimè considerábitis, vestri similes fœminæ sintne Romæ. Si enim non sunt, videndum est, ut honestè vos esse possitis. Quomodo-cumque nunc se res habet, modò ut hæc nobis loca tenere liceat, bellissimè vel mecum, vel in nostris prædiis esse potéritis. Etiam illud verendum est, ne brevi témpore fames in urbe sit. His de rebus velim cum Pompónio, cum Camillo, cum quibus vobis vidébitur, consideretis: ad summam, ánimo forti sitis. Labienus rem meliorem fecit. Adjuvat étiam Píso quòd ab urbe discedit, et scéleris condemnat génerum suum. Vos meæ carissimæ animæ, quàm sæpissimè ad me scribite, et vos quid agatis, et quid istic agatur. Quintus pater, et filius et Rufus vobis salutem dicunt. Valete. XII. Calendas Quintilis. Minturnis.

THEMA C.

1. San Gerónimo marcha al desierto en compañía de Elio-
doro, á quien procura retener consigo. No habiendo podido
conseguirlo, y viéndose abandonado del amigo que tanto ama-
ba, le escribe despues esta bellissima carta, en que le hace ver
los escollos que se encuentran en la sociedad, y los peligros
á que se halla expuesta la virtud en el mundo: le pinta con
vivos colores los encantos de la soledad; y describe lo terrible
del juicio final, para alentarle á que abraze con firme resolu-
ción la vida solitaria.

Quanto amore et studio conténderim, ut páriter in
eremo moraremur, cóncium mútuæ charitatis pectus
agnoscit: quibus lamentis, quo dolore, quo gémitu te
abeuntem prosequutus sim, istæ quoque literæ testes
sunt, quas lacrymis cernis intérlitas. Verùm tu, quasi
párvulus delicatus, contemptum rogantis per blandi-
ménta fovisti: et ego incautus, quid tunc ágerem ne-
sciebam. Tacerem? Sed quod ardentè volebam, mode-
ratè dissimulare non póteram. Impensiùs obsecrarem?
Sed audire nolebas, quæ similiter non amabas. Quod
unum potuit spréta cháritas fecit. Quem præsentem
retinere non valuit, quærit absentem. Quoniam igitur
et tu ipse, abiens, postuláras, ut postea quàm ad de-
serta migrássem, invitatória ad te scripta transmitté-
rem; et ego me facturum promisseram; invito: jam
própera. Nolo pristinarum necessitúdinum recorderis.
Nudos amat eremus: nolo te longinquæ peregrinatio-
nis terreat difficultas. Qui in Christum credis, et
ejus crede sermónibus. Quærite primùm regnum Dei,
et hæc omnia apponentur vobis. Non pera tibi su-

menda, non virga est. Affatim dives es, qui cum Christo pauper est. Sed quid ago? Rursus impróvidus obsecro? Abeant preces, blandimenta discedant. Debet amor læsus irasci. Qui rogitantem contempseras, forsitan audies objurgantem. Quid facis in paterna domo, delicate miles? Ubi vallum? ubi fossa? ubi hymns acta sub pèllibus? Ecce de cœlo tuba canit: ecce cum úrbibus debellaturus orbem Imperator armatus egréditur: ecce bis acutus gladius ex Regis ore procedens, obvia quæque metit; et tu mihi de cubículo ad aciem, tu de umbra egréderis ad solem? Corpus assuetum túniceis lóricæ onus non fert. Caput opertum linteo galeam recusat. Mollem otio manum durus exasperat cápulus. Audi edictum Regis tui: «Qui non est mecum, contra me est; et qui mecum non cólligit, spargit.» Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo in Baptismate consepultus, in Sacramenti verba jurásti, pro nómine ejus non te patri parciturum esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licèt parvulus ex collo pendeat nepos, licèt sparso crine, et scissis vés-tibus úbera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licèt in limine pater jáceat, per calcatum perge patrem, siccis óculis ad vexillum Crucis évola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. Veniet, veniet póstea dies ille quo victor revertaris in patriam, quo per Hierosolymam cœlestem vir fortis coronatus incedas. Tunc municipatum cum Paulo capies, tunc et paréntibus tuis ejusdem civitatis jus petes; tunc et pro me roga-

bis, qui te ut vinceret incitavi. Neque verò nescio, quā te dicas nunc cōmpede præpediri. Non est nobis ferreum pectus, nec dura præcordia. Non ex silice natos Hyrcani nutrire tigres. Et nos per ista transivimus. Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis; nunc illi, cum quibus adolevisti, vèrnulæ ajunt: ¿Cui nos servituros relinquis? Nunc et gèrula quondam, jam anus, et nutritius, secundus post naturalem pietatem pater, clāmitat: Morituros expecta paulisper, et sèpeli. Forsitan et laxis uberum pèllibus mater, aratà rugis fronte, antiquum réferens mammæ lallare cōgémnet.

2. Continuacion.

Dicant, si volunt, et Grammátici: In te omnis domus inclinata recumbit. Facile rumpit et vīcula amor Dei, et gehennæ timor. At contra, Scriptura præcipit paréntibus obsequendum; sed quicumque eos supra Christum amat, perdit animam suam. Gladium tenet hostis, ut me périmat: ¿et ego de matris lácrymis cogitabo? ¿Propter patrem militiam Christi déseram, cui sepulturam Christi causà non debeo, quam etiam ómnibus ejus causà debeo? Dómino passuro timidè Petrus cōsulens, scándalum fuit. Paulus retinéntibus se frátribus, ne Hierosólymam pérgeret, respondit: Quid fácitis plorantes, et conturbantes cor meum? Ego enim non solum ligari, sed et mori in Jerúsalem paratus sum pro nómine Dómini Jesu Christi. Ardes iste pietatis, quo fides quátitur, Evangelii retundendus est muro. Mater mea, et fratres mei hi sunt, quicum-

que faciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Si credunt in Christum, faveant mihi pro ejus nómine pugnaturus. Si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos. Sed hoc ais in martyrio. Erras, frater, erras, si putas unquam christianum persecutionem non pati. Tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis. Adversarius noster, tamquam leo rugiens, aliquem devorare quærens, circumit; et tu pacem putas? Sedet in insidiis cum divitibus, ut in occultis interficiat innocentem: oculi ejus in pauperem respiciunt, insidiatur in occulto, sicut leo in spelunca sua, insidiatur ut rapiat pauperem: et tu, frondosæ arboris tectus umbraculo, molles somnos, futurus præda, carpis? Inde me perséquitur luxuria, inde avaritia conatur irrumpere; inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo: compellit libido, ut habitantem in me Spiritum Sanctum fugem, ut templum ejus violem. Perséquitur, inquam, me hostis, cui nómina mille, nocendi artes: et ego infelix, et victorem me putabo, dum capior? Nolo, frater charissime, examinato pondere delictorum, minora credas idololatriæ crimina esse, quæ diximus. Imò Apóstoli discite sententiam, qui ait: «Hoc enim scitote, intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, aut fraudator, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, et Dei.» Et quanquam generáliter adversum Deum sapiat, quidquid diaboli est, et quod diaboli est, idololatria sit, cui omnia idola mancipantur; tamen et in alio loco speciatim, nominatimque determinat, dicens: «Mortificate membra vestra, quæ

sunt super terram, deponentes fornicationem, immunditiam, et concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ sunt idolorum sérvitus, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiae.»

3. Continuacion.

Non est tantum in eo sérvitus idoli, si quis duobus digitulis thura in bustum aræ jaciatur, aut haustum pateræ poculo fundat merum. Neget avaritiam esse idolatriam, qui potest triginta argenteis Dóminum venditum appellare justitiam. Neget sacrilegium in libidine; sed is, qui membra Christi, et hostiam vivam, placentem Deo, cum publicarum libidinum victimis, nefaria colluvione violavit. Non fateatur fraudem idolatriam esse, sed similis eorum, qui in Actibus Apostolorum ex patrimonio suo partem pretii servantes, præsentem perire vindicta. Animadvertite, frater: non tibi licet de tuis quidquam habere rebus. Omnis (inquit Dóminus) qui non renuntiaverit cunctis, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. ¿Cur tímido ánimo Christianus es? Réspice Petro relictum rete. Réspice surgentem de Telonio Publicanum, statim Apóstolum. Filius hóminis non habet ubi caput reclinet, ¿et tu amplas pórticus et ingentia tectorum spatia metiris? Hæreditatem exspectans sæculi, cohæres Christi esse non póteris. Interpretare vocábulum *Monachí*: hoc est nomen tuum. ¿Quid facis in turba, qui solus es? Et hoc ego, non integris rate, vel mércibus, nec quasi ignarus fluctuum præmóneo, sed quasi nuper naufragio ejectus in litus, doctus nauta, tímida

navigaturis voce denuntio. In illo æstu Charybdis luxuriæ salutem vorat: ibi ore virgineo, ad pudicitiae perpetranda naufragia, Scylla, ceu renidens libido blanditur. Hic barbarum litus, hic diabolus pirata cum sociis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi. Licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur; magnos hic campus montes habet: intus inclusum est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite. Crux antennæ figatur in frontibus. Tranquillitas ista tempestas est. Sed forsitan dicturus es: Quid ergo? quicumque in civitate sunt, christiani non sunt? Non est tibi eadem causa, quæ cæteris. Dóminum ausculta dicentem: «Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, et da pauperibus, et veni, séquere me.» Tu autem perfectum te fore pollicitus es: nam quum derelicta militiâ te castrasti propter Regna cælorum, quid aliud, quam perfectam sequutus es vitam? Perfectus autem servus Christi nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est; et si perfectus non est, quum se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante Deum mentitus est. Os autem, quod mentitur, occidit animam. Igitur ut concludam, si perfectus es, quæ bona paternam desideras? Dóminum fefellisti, si perfectus non es. Divinis Evangelium vóicibus cónsonat: «Non potestis duobus dómínis servire, et audet quisquam mendacem Christum fácere, mammonæ et Dómino serviendo? Vociferatur ille sæpè: si quis, vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequa-

tur me: et ego onustus auro árbitor me Christum sequi? Qui dicit se in Christum credere, debet quo modo ille ambulavit, et ipse ambulare. Quod si nihil habes (ut te responsurum scio), ¿cur tam benè paratus ad bella, non militas? Nisi fortè in patria tua te arbitraris hoc fàcere, quum in sua Dóminus signa non fécerit. Et cur id? cum auctoritate sume rationem. Nemo Propheta in patria sua honorem habet. Non quæro (inquies) honorem: súfficit mihi conscientia mea. Neque Dóminus quærebat, quippe qui, ne à turbis Rex constitueretur, aufugit. Sed ubi honor non est, ibi contemptus est: ubi contemptus, ibi frequens injuria. Ubi autem injuria, ibi et indignatio. Ubi indignatio, ibi quies nulla. Ubi quies non est, ibi mens à propósito sæpè dedúcitur. Ubi autem per inquietudinem áliquid aufertur ex studio, minus fit ab eo, quod tollitur. Et ubi minus est, perfectum non potest dici.

4. Continuación.

Ex hac supputatione illa summa nascitur mónachum perfectum in patria sua esse non posse; perfectum autem esse nolle, delinquere est. Sed de hoc gradu pulsus, provocabis ad cléricos. An de his áliquid aúdeam dicere, qui certè in suis úrbibus commorantur? Absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostólico gradui succedentes, Christi corpus sacro conficiunt, per quos et nos christiani sumus. Qui claves Regni Cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem júdicant, qui Sponsam Dómini sóbria castitate conser-

vant. Sed alia (ut antè perstrinxi) Monachorum est causa, alia Clericorum. Clérici pascunt oves; ego pascor: illi de altari vivunt; mihi, quasi infructuosæ arbori, securis pónitur ad radicem, si munus ad altare non défero. Nec possum obténdere paupertatem, quum in Evangelio anum viduam duo (quæ sola sibi supérant) æra mittentem in gazophylacium laudáverit Dóminus: mihi ante presbyterum sedere non licet; illi, si peccávero, licet trádere me Sátanæ in intéritum carnis, ut spíritus salvus sit in die Dómini Jesu. Et in véteri quidem lege quicumque sacerdótibus non obtemperásset, aut extra castra pósitus lapidabatur à pópulo, aut, gladio cervice subjecta, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens spirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Ecclesia, rábido dæmonum ore discérpitur. Quod si te quoque ad eundem órđinem pia fratrum blandimenta sollicitant; gaudebo de ascensu, timebo de lapsu. Qui Episcopatum désiderat, bonum opus désiderat. Scimus ista, sed junge quod séquitur: «oportet autem hujusmodi irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sóbrium, púdicum, prudentem, ornatum, hospitem, docibilem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum.» Et cæteris, quæ de eo sequuntur explicitis, non minorem in tertio gradu adhibuit diligentiam, dicens: Diáconos similiter púdicos, non bilingues, non multo vino déditos, non turpilucros, habentes mysterium Fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm, et sic ministrent nullum crimen habentes. Væ illi hómini, qui vestem non habens nuptialem, ingréditur ad cœnam. Nihil supé-

rest, nisi ut statim audiat: Amice, ¿quómodo huc intrásti? Et illo obmutescente, dicatur ministris: Tóllite illum ligatis mánibus, et pédibus, et mittite eum in ténebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. ¡Væ illi, qui acceptum talentum in sudario ligans, cæteris lucra faciéntibus, id tantum, quod acceperat, reservavit! Illicò indignantis Domini responsione et clamore ferietur: Serve nequam, ¿quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens cum usuris exegissem eam? Id est, deposuisses ad altare, quod ferre non póteras. Dum enim tu, ignavus negotiator, denarium tenes, altérius locum, qui pecuniam duplicare póterat, occupasti. Quamobrem, sicuti qui bene ministrat, bonum gradum sibi acquirit; ita, qui indignè ad cálicem Dómini accedit, reus erit Domínici Córporis et Sanguinis. Non omnes episcopi, episcopi sunt. Attendis Petrum, sed et Judam considera. Stephanum suspicis, sed et Nicolaum respice, quem Dóminus in Apocalypsi suà damnat sententiâ. Qui tam turpia et nefanda commentus est, ut Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur. Probet se unusquisque, et sic accedat. Non facit ecclesiástica dignitas christianum. Cornelius Centurio, adhuc ethnicus, dono Sancti Spiritûs mundatur. Presbyteros Daniel puer júdicat. Amos ruborum mora distinguens, repentè propheta effectus est. David, pastor, eligitur in regem. Minimum discipulum Jesus amat plúrimum. Inferiùs, frater, accumbe, ut, minore adveniente, sursum jubearis ascendere. ¿Super quem Dóminus requiescit, nisi super húmilem, et quietum, et trementem verba sua?

Cui plus créditur, plus ab eo exigitur. Potentes potenter tormenta patientur.

5. Conclusion.

Nec sibi quisquam de corporis tantum mundi castitate supplaudat; quum omne verbum otiosum quodcumque loquuti fuerint homines, reddituri sint de eo rationem in die iudicii; quum etiam convicium in fratrem, homicidii sit reatus. Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, jam cum Christo regnatum, ne forte veniat Angelus, qui scindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moveat. Edificaturus turrim, futuri operis sumptus supputa. Infatuatum sal ad nihil est utile nisi ut projiciatur foras, et à porcis conculcetur. Monachus si ceciderit, rogabit pro eo sacerdos; pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est? Sed quoniam è scopulosis locis enavigavit oratio, et inter canas spumeis fluctibus cautes fragilis in altum cymba processit; pandenda vela sunt ventis; et questionum scopulis transvadatis, lætantium more nautarum, epilogi celeuma cantandum est. ¡O desertum Christi floribus vernans! ¡O solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni regis exstruitur! ¡O eremus familiaribus Deo gaudens! ¡Quid agis, frater, in sæculo, qui major es mundo? ¡Quandiu te tectorum umbræ premunt? quandiu formosarum urbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio. Libet, sarcina corporis abjecta, ad purum ætheris evolare fulgorem. Paupertatem times? Sed beatos Christum pauperes appellat.

Labore terroris? At nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? Sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa jejuniis membra collidere? Sed Dominus tecum jacet. Squalidi capitis horret inculta caesaries? Sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? Sed tu Paradisum mente deambula. Quotiescumque illuc cogitatione conscenderis, toties in eremo non eris. Scabra sine balneis attrahitur cutis; sed qui in Christo semel lotus est, non illi necesse est iterum lavare. Et ut breviter ad cuncta audias Apostolum respondentem: Non sunt, inquit, condignae passionis huius saeculi ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Delicatus es, frater, si et hic vis gaudere cum saeculo, et postea regnare cum Christo. Veniet, veniet illa dies, qua corruptivum hoc et mortale incorruptionem induat, et immortalitatem. Beatus servus, quem Dominus invenerit vigilantem. Tunc ad vocem tubae pavebit terra cum populis, et tu gaudebis. Judicatus Domino, lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur cum prole sua verè tunc ignitus Iupiter: adducetur et cum suis stultus Plato discipulis. Aristotelis argumenta non prouderunt. Tunc tu, rusticanus et pauper, exultabis, et ridebis, et dices: Ecce crucifixus Deus meus: ecce iudex, qui, obvolutus pannis, in praesepio vagiit: Hic est ille, operarii et quaestuariæ filius: hic, qui matris gestatus sinu, hominem Deus fugit in Ægyptum: hic vestitus cocceino, hic sentibus coronatus: hic magus, daemonium habeas, et Samarites.

Cerne manus, Judæe, quas fixeras: cerne latus, Romane, quod foderas. Videte corpus an idem sit, quod dicebatis clam nocte sustulisse discipulos. — Dilectio tua me compulit, ut hæc tibi, frater, dicerem, ut his tunc interesse contingat, pro quibus nunc labor durus est.

Hemos creído oportuno anticipar por via de apéndice al segundo libro, y á fin de que los SS. Profesores, que así lo estimen conveniente, puedan ejercitar los discípulos más aventajados en el arte métrica, las escogidas piezas siguientes:

— 661 —
P. VIRGILIO MARON.

ÉGLOGA.

El poeta, bajo el nombre de Coridon, halaga al jóven Alexis, y le hace ofertas; más viendo su ingratitud desiste de la pretension.

Formosum Pastor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini: nec quid speraret habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Assiduè veniebat: ibi hæc incondita solus
Montibus et sylvis studio jactababat inani.
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,
Nil nostri miserere, mori me denique cogis.
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant,
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos:
Thestylis et rapido fessis messoribus æstu
Alia serpyllumque, herbas contundit olentes.
At mecum raucis, tua dum vestigia lustrò,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
¿Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras
Atque superba pati fastidia? Nonne Menalcam?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.
O formose puer, nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec qui sim quæris, Alexi:
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.

Mille meæ sicutis errant in montibus agnæ:
Lac mihi non æstate novum, non frigore desit.
Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat
Amphion Dircaeus, in Actæo Aracintho.
Nec sum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Quum placidum ventis staret mare: non ego Daphnim,
Judice te, metuam, si nunquam fallit imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humiles habitare casas, et figere cervos,
Hædorumque gregem viridi compellere hibisco!
Mecum unâ in sylvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Instituit: Pan curat oves, oviumque magistros.
Nec te pœniteat calamo trivisse labellum:
Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta ciculis
Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim;
Et dixit moriens: te nunc habet ista secundum.
Dixit Damœtas: invidit stultus Amyntas.
Præterea duo nec tutâ mihi valle reperti
Capreoli, sparsis etiam nunc pelliis albo,
Bina die siccant ovis ubera, quos tibi servo.
Jam pridem à me illos abducere Thestylis orat;
Et faciet: quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, ò formose puer; tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis: tibi candida Nais,
Pallentes violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem jungit bene olentis anethi.
Tum casiâ, atque aliis intexens suavis herbis,
Mollia luteolâ pingit vaccinia calthâ.

Ipse ego cana legam tenerâ lanugine mala,
 Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.
 Addam cerea pruna; et honos erit huic quoque pomo:
 Et vos ô lauri carpam, et te proxima myrthe;
 Sic positæ quoniam suaves miscetis odores
 Rusticus es, Corydon, nec munera curat Alexis:
 Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.
 Eheu quid volui misero mihi? floribus Austrum
 Perditus, et liquidis immisi fontibus apros.
 Quem fugis, ah, demens! habitârunt Dii quoque sylva:
 Dardaniusque París: Pallas, quas condidit arces,
 Ipsa colat: nobis placeant ante omnia sylvæ.
 Torva læna lupum sequitur, lupus ipse capellam:
 Florentem cytissum sequitur lasciva capella;
 Te Corydon, ô Alexi: trahit sua quemque voluptas.
 Aspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci,
 Et sol crescentes decedens duplicat umbras:
 Me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?
 Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cœpit!
 Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est,
 Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
 Viminibus molique paras detexere junco?
 Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.

Estos versos son exámetros y se miden así:

Formo	sum	Pas	tor	Cory	don	ar	debat	A	lexia
-------	-----	-----	-----	------	-----	----	-------	---	-------

P. OVIDIO NASON.

ELEGIA.

Da consejos á un amigo: alaba su fidelidad; le cuenta sus trabajos, é implora su favor.

O Mihi care quidem semper, sed tempore duro

Cognite, res postquam procubuere meæ:

Usibus edocto si quidquam credis amico,

Vive tibi, et longè nomina magna fuge.

Vive tibi, quantumque potes, prælustria vita:

Sævum prælustri fulmen ab arce venit,

Nam quanquam soli possint prodesse potentes;

Non prosit potius, si quis obesse potest.

Effugit hibernas dimissa antenna procellas,

Lataque plus parvis vela timoris habent.

Adspicis ut summâ cortex levis innatet undâ,

Quum grave nexa simul retia mergat onus?

Hæc ego si monitor monitus prius ipse fuisset,

In qua debebam forsitan urbe forem.

Dum tecum vixi, dum me levis aura ferebat,

Hæc mea per placidas cymba cucurrit aquas.

Qui cadit in plano (vix hoc tamen evenit ipsum)

Sic cadit, ut tactâ surgere possit humo.

At miser Elpenor tecto delapsus ab alto,

Occurrit Regi debilis umbra suo.

Quid fuit, ut tutas agitare Dædalus alas,

Icarus immensas nomine signet aquas?

Nempe quòd hic alte, demissius ille volabat:

Nam pennas ambo nonne habuere suas?

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Non foret Eumedes orbis, si filius ejus
Stultus Achilleos non adamasset equos.
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas;
Cepisset genitor si Phaetonta Merops.
Tu quoque formida nimium sublimia semper:
Propositique memor contrahe vela tui.
Nam pede inoffenso spatium decurrere vitæ
Dignus es; et fato candidiore frui.
Quæ pro te ut voveam, miti pietate mereris;
Hæsuræque mihi tempus in omne fide.
Vidi ego te tali vultu mea fata gementem
Qualem credibile est ore fuisse meo.
Nostra tuas vidi lacrimas super ora cadentes,
Tempore quas uno, fidaque verba bibi.
Nunc quoque summorum studio defendis amicum;
Et mala vix ullâ parte levanda levas.
Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige, amicitias et tibi junge pares.
Nasonisque tui, quod adhuc non exsultat unum,
Nomen ama: Scythicus cetera Pontus habet.
Proxima sideribus tellus Erymantidos Ursæ
Me tenet; adstricto terra perusta gelu.
Bosphorus et Tanais superant, Scythicæque paludes,
Vixque satis noti nomina pauca loci.
Ulterius nihil est, nisi non habitabile frigus.
Heu quàm vicina est ultima terra mihi!
At longè patria est: longè est carissima conjux:
Quidquid et hæc nobis post duo dulces fuit.

Sic tamen hæc absunt, ut, quæ contingere non est
 Corpore, sint animo cuncta videnda meo.
 Ante oculos errat domus, urbs, et forma locorum,
 Succeduntque suis singula facta locis.
 Conjugis ante oculos, sicut præsentis, imago est:
 Illa meos casus ingravat, illa levat.
 Ingravat hoc quod adest: levat hoc quod præstat amorem.
 Impositumque sibi firma tuetur onus.
 Vos quoque pectoribus nostris hæretis, amici,
 Dicere quos cupio nomine quemque suo.
 Sed timor officium cautus compescit, et ipsos
 In nostro poni carmine nolle puto.
 Ante volebatis, gratique erat instar honoris,
 Versibus in nostris nomina vestra legi.
 Quod quoniam est anceps, intra mea pectora quemque
 Adloquar, et nulli causa timoris ero.
 Nec meus indicio latitantes versus amicos
 Protrahet: oculte, si quis amavit, amet.
 Scite tamen, quamvis longa regione remotus
 Absim, vos animo semper adesse meo.
 Et quæ quisque potest, oro, mala nostra levate:
 Fidam projecto neve negate manum.
 Prospera sic vobis maneat Fortuna: nec unquam
 Contacti simili sorte rogetis opem.
 Dos versos de estos forman un distico.

1.º—*Exámetro.*

- v v | - v v | - - | - - | - v v | - -
 O mihi | care qui dem sem per sed | tempore | duro

2.º—*Pentámetro.*

- v v | - - | - - | - v v | - v v | -
 Cognite | res post | quam | procubulere me | æ

Q. HORACIO FLACO.

ODA.

Alaba las delicias de la vida del campo.

Beatus ille, qui procul negotiis,

Ut prisca gens mortalium,

Paterna rura bobus exercet suis,

Solutus omni fœnore!

Neque excitatur classico miles truci;

Neque horret iratum mare;

Forumque vitat, et superba civium

Potentiorum limina.

Ergò aut adultà vitium propagine

Altas maritat populos,

Inutilesque falce ramos amputans

Feliciores inserit,

Aut in reducta valle mugientium

Prospectat errantes greges;

Aut pressa puris mella condit amphoris,

Aut tondet infirmas oves;

Vel, quum decorum mitibus pomis caput

Autumnus arvis extulit,

Ut gaudet insitiva decerpens pyra,

Certantem et uvam purpuræ,

Quà muneretur te, Priape, et te, pater

Silvane, tutor finium.

Libet jacere, modò sub antiqua ilice,

Modò in tenaci gramine.

Labuntur altis interim ripis aquæ,

Queruntur in sylvis aves,

Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,

Somnos quod invitet leves.

At quum tonantis annus hibernus Jovis

Imbres nivesque comparat,

Aut trudit acres hinc et hinc multà cane

Apros in obstantes plagas;

Aut amite levi rara tendit retia

Turdus edacibus dolos;

Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,

Jucunda captat præmia,

Quis non malarum, quas amor curas habet,

Hæc inter obliviscitur?

Quòd si pudica mulier in partem juvet

Domum atque dulces liberos,

Sabina qualis, aut perusta solibus

Pernicis uxor Appuli,

Sacrum et vetustis exstruat lignis focum

Lassi sub adventum viri:

Claudensque textis cratibus lætum pecus,

Distenta siccet ubera;

Et horna dulci vina promens dolio,

Dapes inemptas apparet;

Non me Lucrina juverint conchylia,

Magisve rhombus, aut scari,

Si quos Eois intonata fluctibus

Hiems ad hoc vertat mare;

Non Afra avis descendat in ventrem meum.

Non attagen Ionicus

Jucundior, quàm lecta de pinguissimis

Oliva ramis arborum,

Aut herba lapathi prata amanti, et gravi

Malvæ salubres corpori;

Vel agna festis cæsa Terminalibus,

Vel hædus ereptus lupo.

Has inter epulas, ut juvat pastas oves

Videre properantes domum!

Videre fessos vomerem inversum boves

Collo trahentes languido;

Positosque vernas, ditis examen domus

Circùm renidentes Lares!

Hæc ubi locutus scænerator Alphius,

Jamjâm futurus rusticus,

Omne redegit idibus pecuniam,

Quærit Calendis ponere.

Grandes yâmbicos.

v -		v -		v -		v -		v -		v -
Bea		tus il		le qui		procul		nego		ti is

Idem pequeños.

-	-		v -		-	-		v -
Ut pris		ca gens		morta		li um		

C. VALERIO CATULO.

EPIGRAMA.

A la muerte del pájaro de Lesbia.

Lugete, ó Veneres, Cupidinesque,

Et quantum est hominum venustiorum!
 Passer mortuus est meæ puellæ,
 Passer, deliciæ meæ puellæ,
 Quem plûs illa oculis suis amabat:
 Nàm mellitus erat, suamque norat
 Ipsam tàm benè, quàm puella matrem,
 Nec sese à gremio illius movebat;
 Sed circumsiliens modò hùc, modò illùc
 Ad solam dominam usque pipilabat.
 Qui nunc it per iter tenebricosum,
 Illùc, unde negant redire quemquam,
 At vobis malè sit, malæ tenebræ
 Orci, quæ omnia bella devoratis:
 Tam bellum mihi passerem abstulistis.
 O factum malè! O miselle passer,
 Tua nunc opera, meæ puellæ
 Flendo turgiduli rubent ocelli!

Falucio.

- - | t' , - - v v | - - v | - - v | - - v
 Luge | t' , - - v v | res , Cu | pi di | nesque

M. VALERIO MARCIAL.

EPIGRAMA.

Convida á Liciniano á gozar los placeres de la caza.

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
 Nostræque Laus Hispaniæ,
 Videbis altam, Liciniane, Bilbilim

Aquis et armis nobilem,
Sterilemque Caunum nivibus, effractis sacrum
Vadaveronem montibus,
Et delicati dulce Botrodi nemus,
Pomona quod felix amat.
Tepidum natabis lenè Congedi vadum,
Mollesque nimpharum lacus,
Quibus remissum corpus adstringas brevi
Salone, qui ferrum gelat.
Præstabit illic ipsa figendas prope
Boberca prendenti feras.
Æstus serenos aureo franges Tago,
Obscurus umbris arborum.
Avidam rigens Dircenna placabit sitim,
Et Nemea, quæ vincit nives.
At quum December canus, et bruma impotens
Aquilone rauco mugiet,
Aprica repetes Tarraconis litora,
Tuamque Laletaniam.
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, et vernas apros,
Leporemque forti callidum rumpes equo,
Cervos relinques villico.
Vicina in ipsum sylva descendet focum
Infante cinctum sordido.
Vocabitur venator, et veniet tibi
Conviva clamatus propè.
Lunata nusquam pellis, et nusquam toga,
Olidæque vestes murice.
Procul horridus Liburnus, et querulus cliens;

Imperia viduarum procul.
 Non rumpet altum pallidus somnum reus,
 Sed mane totum dormies;
 Mercetur alius grande, et insanum sophos;
 Miserere tu felicius;
 Veroque fruiere non superbus gaudio,
 Dum Sura laudatur tuus.
 Non imprudenter vita, quod reliquum est, petit,
 Quum fama, quod satis est, habet.

Trimetros.

Vir cel | tibe | ris non | tacen | de gen | tibus

Dimetros.

Nostræ | que laus | Hispa | niæ

Q. HORACIO FLACO.

ODAS.

I.

Dice á Mecenas que cada uno tiene su afición particular, y que á él le es grata sobre manera la poesía.

Mæcenas, atavis edite regibus,
 O et præsidium et dulce decus meum:
 Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum
 Collegisse juvat: metaque fervidis
 Evitata rotis, palmaque nobilis,

Terrarum dominos evehit ad Deos.
Hunc, si movilium turba Quiritium
Certat tergemini tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Lybieis verritur areis;
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquàm dimoveas, ut trabe Cyprià
Myrtoum, pavidus nauta, secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est, qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit; nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
Multos castra juvant, et lituo tubæ
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub Jove frigido
Venator, teneræ conjugis immemor;
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis; me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo; si neque tibus
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quòd si me lyricis vatibus inseres,

Sublimi feriam sidera vertice.

Versos asclepiadeos.

Mæce		nas ata		vis		edite		regibus
------	--	---------	--	-----	--	-------	--	---------

III.

Manifiesta á Crispo Salustio lo conveniente que es hacer buen uso de las riquezas y moderar las pasiones.

Nullus argento color est avaris

Abditæ terris, inimice lamnæ,

Crispe Sallusti, nisi temperato

Splendeat usu.

Vivet extento Prócleius ævo,

Notus in fratres animi paterni:

